T. 6.

IOANNIS SIGISMVNDI
ELSHOLTII
ANTHROPOMETRIA;

Acceſsit

DOCTRINA NAEVORVM.

AD

Sereniſs. S.R.I. Principem Electorem

FRIDERICVM
GVILIELMVM
MARCHIONEM BRANDEBVRGICVM.



PATAVII, Typis Matthæi Cadorini.

SVPERIORVM PERMISSV.

SERENISS. ET POTENTISSIMO
PRINCIPI, AC DOMINO,
DOMINO
FRIDERICO GVILIELMO
MARCHIONI
BRANDEBVRGICO,

S. R. I. Archicamerario, & Electori, Magdeburgi, Boruſsiæ, Juliæ, Cliviæ, Montium Stetini Pomeranorum, Caßubiorum, Vandalorum, nec non in Sileſia Croſnæ, & Carnoviæ Duci, Burggravio Noribergenſi, Principi Halberſtadenſi & Mindenſi, Comiti Marcæ & Ravensburgi, Domino in Ravenſtein, Domino meo Clementiſsimo.

PAvebat olim rerum novitate, aulam Solis ingreſſus Phaeton: nec juvenis oculi ſuffe-rendo ſplendori paterno pares erant. Accedo majeſtatem tuam, Sereniſsime Potentiſsimeq; Prin-

 ceps,

ceps, ſed proſtratus humi metu ac tremẽs, niſi

circum caput omne micantes

Deponas radios:

niſi appropinquare juſſeris, & clementi humanitate tuum animaveris clientem. Temerarius eſſet, quicunq; non conſternaretur illuſtriſsimo Principis aſpectu, cui tot obediunt populi, paret ingens tractus Germaniæ, aſſurgunt Duces, Reges affinitate junguntur, proſapiam dedere Cæſares? At vero res tuas domi, belloq; & in literis glorioſe geſtas non auſim, Sereniſsime Princeps, ob magnitudinem attingere. Scribant iſtæc alij: ſin tacuerint, ſecula loquentur. Adſum ego venerabundus, & ſupplex porrigo ſubiectæ ſignum fidei. Serena frontem ſereniſsimam, & conſecratas tibi deo tutelari has ſtudiorum primitias benignioribus gratiæ radiis aſpice.

Patauij Prid. Calend. Iulij, M. DC. LIV.

Sereniſsimæ T. Celſ.

Subditus deditiſsimus

Io. Sig. Elsholtius.

LECTORIS.

A*Dmonendus mihi es in veſtibulo de eo, quod admiſſus in conclave oculis uſurpabis, Lector honorãde. Vno verbo. Videbis corporis tui ſymmetriam. Ea Latinũ nomẽ nõ habet auctoritate Pliniј* l. xxxjv. Natur. Hiſt. c. vii. *commenſum tamen vertit Vitruvius, Gellius proportionem nominat. Non autem intelligimus proportionem, quam membra inter ſe obtinent ex gravitate, vel levitate: quippe quæ ad Staticam pertinet. Ita pinguedinem omenti in mediocriter pingui ad libræ vel ſequilibræ pondus accedere Caſpar Bauhinus prodidit,* lib. 1. Theatr. Anatom. c. xij. *Cutim humanam in corium apparatam pendere libras mercatorias quatuor cum dimidia, inteſtina omnia poſt exſiccationem libram unam, Io. Loſelius Anatomicus Regiomontanus invenit. Sanguinis libras xl. in homine iuſtæ ætatis & magnitudinis haberi Riolanus aſſerit,* l. De motu circulat. ſang. *Sed intelligimus proportionem menſuræ, quam partes inter ſe ratione longitudinis vel brevitatis, craſsitiei vel gracilitatis mutuo ſervant. Nec tamen expectes hic commenſum partium internarum, quo Herophilus inteſtinum ventriculo continuum* δωδεκαδάκτυλον *nuncupavit, quod duodecim digitos æquaret,* Galen. l. vi. Admin. Anatom. c. ix. *alij univerſa inteſtina longitudinem hominis ſexies plus minus ſuperare animadverterunt, ut refert Caſp. Bartholinus* l. 1. Inſt. Anatom. c. x. *Henricus Ernſtius* l. ij. Obſervat. c. xxxvii. Sunt enim, *inquit Leonhardus Leſsius lib. 1. De Providentia Numinis c. 1.* certæ proportiones etiam ad partes internas ſingulas, ad oſſa, ad viſcera, ad nervos, arterias, venas, muſculos: adeo ut pluſquam centum millia proportionum in ſolius hominis fabrica ſint conſideranda. An igitur, *ut cum Galeno loquar l. xvij. De uſu part. c. 1.* Polycletum quidem jure admira-

bimur

bimur propter partium ſtatuæ, quæ Canon fuit appellata, cõvenientiam ac proportionem: naturam autẽ non modo non laudabimus, ſed omni etiam arte privabimus, quæ partium ſymmetriam non ſolũ extrinſecus more ſtatuariorũ, ſed in profundo etiam ſervavit? *Quicquid ſit, iacet neglectior illa doctrina neſcio ſuo merito, an noſtra incuria: Quapropter alienæ ipſam linquentes diligentiæ, illi ſoli adhærebimus impræſentia, quæ partium externarum ſymmetriam complectitur, pluribus exculta, paucis deſcripta. Euphranor Iſthmius, ſi fidem habemus Plinio,* l. xxxv. c.xj. *primus ſymmetriam uſurpavit, & de ea volumina compoſuit. Compoſuere procul dubio & alij, quorum tamen ſcripta ad manus noſtras non pervenerunt. Sparſim multa reperies veſtigia huius ſcientiæ tam apud Claſsicos omnes, quam alios & veteres & recẽtiores. Ex profeſſo autem hoc argumentum ſibi tractandum vix aliquis, quod ego ſciam, ſuſcepit præter artificẽ illum incomparabilẽ* Albertum Durerum *Germanum, qui inter alia excellentis ingenij monumenta An. Aer.Ch.* 1528. *literis mandavit volumen eximium, quo proportionem à natura in humani corporis compoſitione obſervatam tam mira diligentia perſecutus eſt; ut artis fundamenta ſi expendas, vix quicquam amplius huic argumento addi poſsit. Ad minutias tamen interdum delabitur, quas ſequi pictoribus atq; ſtatuarijs expedit, homini literato non item. Nos, quod impenſe delectamur hoc ſtudiorum genere, lectitando aliquot abhinc annis qua hunc, qua alios eius commatis auctores, nonnulla ſubinde excerpſimus, excerpta in ordinem redegimus, & experimentis repetitis tum confirmavimus, tum auximus. Natum inde nobis ſub manu quaſi præſens opuſculum, quod quia Cl. aliquot Viris probatum fuit, & dignum publica luce iudicatum, audet tua fretũ benevolentia, Amiciſſime Lector, in auras prodire. Vale, & conatui noſtro iuvenili fave.*

Ego

EGo Fortunius Licetus Genuenſis, de mãdato Reuer. P. Inquiſit. Padua, P.M. Fr. Antonij Vercelli à Lendenario, vidi præſens Opuſculum de Anthropometria V. Cl. Ioannis Sigiſmundi Elſoltij Germani: quod impreſſione digniſſimum iudico propter eruditam eius doctrinam quæ nihil contra Fidem, Principes, aut bonos mores continere, mihi viſa eſt. Vt enim Margaritarum, quibus origo cœleſtis eſſe vulgo cenſetur è matutino rore conchas fœcundante, pretioſitas univerſa dependet ex unionum inſigni magnitudine, rotunda figura, eximio candore, lævoreque ſuperficiei: Sic hominem, cui vere caleſtis eſt origo, forinſecus à Deo rationali anima corporibus infuſa mortalibus, ceu myſticam Orbis univerſi ſummam conſiderãs Excell. Autor, docta meditatione corporis humani magnitudinem apte metitur: figuram, partiumq; viſui proſtantium ſymmetriam mẽtis oculo perſpectam diligentiſſimo reddit: euidenti pariter & ſolida cum utilitate Medicis ad ægritudines & ſanitatem ex arte curandas: Phyſiognomis ad latentes hominum mores introſpiciendos: Philoſophis ad Analogiam parvi cum magno Mundo communem agnoſcendam: Pictoribus atq; Sculptoribus ad humanas imagines exacte penicillo ſcalpelloq; formandas: Omnibus denique Muſarum alumnis ad mentes naturæ ſciendi cupidas oblectandas, plenoque literario nectare nutriendas.

Ita teſtor ego Fortunius Licetus manu propria. Patauij III. Calend. Iulij M.DC.LIV.

OCTAVIANVS MALIPETRI POTEST.
NICOLAVS CAPELLO CAP.

Bartholomaus Monſiliceus Vic. P. V. G. Vidit.

Stante ſupradicta Atteſtatione
Imprimatur
Fr. Bernardinus de Mattora Prouic. S. Officij.

JNDEX CAPITVM.

CAP. I. Anthropometriæ encomium, & utilitas in Arte Medica.
Cap II. Vtilitas in ſcientia Phyſiognomonica.
Cap. III. Vtilitas in re Pictoria, atq; Statuaria.
Cap. IV. Vtilitas Ethica.
Cap. V. Analogia humani corporis cum ſyſtemate mundi.
Cap. VI. Humani corporis figura qualis: & quomodo motu varietur.
Cap. VII. Figura corporis humani ut variet ex ætate, & morbo.
Cap. VIII. Magnitudo humani corporis quos habeat terminos.
Cap. IX. Quid corpus proportionatum, & quo modo menſurandum.
Cap. X. Symmetria Capitis.
Cap. XI. Symmetria capillitij.
Cap. XII. Symmetria Faciei.
Cap. XIII. Faciei in partes diſtributio.
Cap. XIV. Symmetria Frontis.
Cap. XV. Symmetria Oculorum.
Cap. XVI. Symmetria Naſi.
Cap. XVII. Symmetria Labiorum, ac Menti.
Cap. XVIII. Symmetria Genarum.
Cap. XIX. Symmetria Auricularum.
Cap. XX. Symmetria Colli.
Cap. XXI. Symmetria Brachij.
Cap. XXII. Symmetria Thoracis.
Cap. XXIII. Symmetria Ventris.
Cap. XXIV. Symmetria Cruris.
Cap. XXV. Anacephalæoſis.
Cap. XXVI. Doctrina Næuorum.

IOANNIS SIGISMVNDI ELSHOLTII ANTHROPOMETRIA.

CAP. I.

Anthropometriæ encomium, & utilitas in arte Medica.

ETSI ſua ſibi virtus uberrima merces ſit, nec egeant aliena laude res per ſe expetendæ: laudatas tamen magis inclareſcere, certum eſt. Magis radiat ſcalprum expertus adamas, magnes chalybe munitus trahit fortius, altiuſque ſurgit ſufflatus ignis. Anthropometriæ licet ſua ex ſeſe ſatis conſtet dignitas, nec opus ea habeat aut ſuſpenſa hedera aut accerſitis aliunde encomijs: debita tamen laude evecta quin impenſius placitura ſit, nullus ambigo. Honeſta ipſa eſt, quia ſcientia. ſcientia autem omnis res pulchra atque honorabilis, decreto Philoſophi *lib. 1. de Anim. cap. 1.* Iucunda etiam, quia noſse ſeipſum & menſuram partium ſui corporis, haut leviter oblectat. Sed vero, cum noſtro hoc ſeculo mortales nulla re magis, quam commodo moveantur atque utilitate: operæ me pretium facturum arbitror, ſi per artes aliquot & diſciplinas primarias ejus uſus largiter diffundi, monſtravero. Et quoniam, ſuffragio Divini Senis *in Lege*, Medicina ſibi primas vendicat earum artium, quæ in munere animi poſitæ, artificem in ſenectute non deſerunt, ut loquitur Galenus *Orat. ſua or. ad Art. cap. vj.* ſed cum morte ejus finiuntur: itaque ab ipſa exorſi, delibabimus præcipua aliquot commoda, quæ arti Medicæ præſtet præſens de proportione corporis noſtri tractatio.

Corpus humanum quoniam quantum eſt, trina dimenſione neceſſario conſtat, reſolviturq; in ſuperficies & lineas omnis generis. Illæ ſuperficies & lineæ quamvis in formatione fœtus inter ſe coadaptentur eo pacto, ut reſultet figura ſingulis hominibus communis: ipſa tamen nec ſummum perfectionis gradum ſemper attingit, & cum vitio requiſitæ proportionis frequenter eſt coniuncta. Sic tibiæ figura communis eſt, quod ſit recta, oblonga, ac pene teres: nec tamen his abſolvitur integra tibiæ conformatio, cum reſpectu ſui corporis peccare adhuc nimia longitudine aut brevitate queat. Atque hinc oritur tanta membrorum, immo ipſorum hominum inter ſe diſſimilitudo, ut duos penitus ſimiles vidiſſe miraculo ſit. *Plinius lib. xij. c.* 1. Scire hæc vitia figurarum tam in exceſſu, quam defectu, tantopere Medici intereſt, ut diſertis verbis id præceperit ipſemet medicinæ parens *l. De veteri medic. Multa alia ſunt,* ait, *& extra & intra corpus figurarum ſpecies, quæ magnopere differunt, quod ad affectiones attinet, tum ægroto, tum ſano. Velut capita parva aut magna, colla tenuia aut craſſa, longa aut brevia, ventres longi aut rotundi, pectoris & coſtarum latitudines aut anguſtiæ, & alia infinita, quæ omnia noſſe oportet quatenus differant, quo cauſſas ſingulorum cognitas probe obſerves.* At quotuſquiſque hæc omnia noſſe poterit ante, quam notitiam perfecti corporis ſibi comparaverit, ad quod tanquam Polycleti ſtatuam, de qua Fabius *l. xx. cap. x.* errores reliquorum examinet? Ecquis probabit vilitatem æris auro incognito, æſtimabit abſq; vitiorum extremis virtutem, aut recti neſcius obliquum? Anthropometria autem eſt ille Polycleti canon, eſt lapis Lydius, eſt regula recti. Ea inſtructus differentias figurarum excedentes vel deficientes protinus diſcernet, temperamenta hominum facillime augurabitur, multarum tricas difficultatum in lectione Veterum feliciter expediet. Exacte ſciet, quales ſint ad tabem magis diſpoſiti, quos φθινώδεας nominabat Hippocrates, & πτερυγώδεις Galenus, anguſto pectore & ſcapulis alatis. Perfecte noverit, cuiuſmodi genus hominum fuerint Macrocephali apud eundem Hippocratem, quid ſit acutum caput, quid valida cervix, & exinde robur colliget oſſium, aliarumque partium, ex *vi. Epidem. ſect.* 1. quales ſint ventres graciles, & quod cum periculo purgentur inferius, ex *ij. Aphor. xxxv.* Item longis pedibus præditos alvo fluentiori eſſe, & propterea lenius evacuandos: qua de re conferatur Spigelius *l. 1. De hum. corp. fabr. c. ii.* Callebit ex decreto Hippocratis

cratis *l. de Fractur*: luxationum & fracturarum extenſiones quam directiſſimas facere: quum conſtet, artus luxatos aut fractos ſe ipſis integris multo fieri breviores; quam contractionem neceſſario ſequitur figuræ naturalis immutatio. Ea terrebit imperitum chirurgum, facile emendabitur ab illo, qui medias membrorum figuras ex doctrina anthropometrica ſibi familiares reddiderit.

Cæterum contendet naſutus aliquis, non eſſe opus tanto apparatu in addiſcendis corporis figuris, cum quilibet de plebe ciceris emtor caput magnum à parvo, ventrem gracilem ab obeſo diſcernere non nequeat. At vero, non hic agitur de conferendis duorum hominum capitibus inter ſe, quæ res obvia eſt: ſed iudicandum de uno ſolo, reſpectu ſui corporis, an rite ſit proportionatum, necne. Et quomodo quæſo idiota aliquis de ventris tenuitate ſententiam feret ex fundamentis artis, debitaque menſura, quam ignorat? Quod ſi ſolo aſpectu bene judicet, id fortuito accidit. Fortuna autem & caſus exulant à ſcientiis, nec habent cauſſam definitam, ex Ariſtotelis *l. ij. Phyſic. c. iv.*

Non deſunt plura, eaque inſignia emolumenta, quæ ex doctrina hac in Medicinæ cultores affatim redundare poſſunt. Verum ipſis recenſendis cum vitandæ prolixitatis gratia ſuperſedere cogamur, ad Phyſiognomica ob materiæ affinitatem jam nunc tranſibimus.

CAP. II.

Utilitas in ſcientia Phyſiognomonica.

DIvinationum genera alia ſuperſtitioſa ſunt, alia naturalia. Divinat licite agricola de futura aeris temperie ex traditione avita: Aſtronomus eclipſes poſt ſecula venturas prævidet: per ſigna Medicus judicat de morbi eventu. Adeo non eſt abſurdum, mentem humanam rerum præſciam eſſe futurarum.

Non differt à prognoſi medica divinationis illa ſpecies, quam phyſiognomonicam vocamus: & ſi differt, in ſolo fine erit diſcrepantia, cum ſubiecto plane conveniant, quod utrique eſt corpus humanum. Nec tamen mihi hic ſermo de latiſſima illa Phyſiognomiæ acceptione, qua Naturæ cognitionem ſonat, dividiturque in Cœleſtem,

ditum neq; balbum eſſe poſſe, neq, calvum, niſi fuerit glaucus, idem auctor eſt ibidem *ſect. v.*

Et quid attinet, infinita ejuſmodi huc accumulaſſe, cum Sole meridiano clarius ſit, neminem abſq; notitia naturalis genuinæq; quantitatis, accurate intelligere, quantus oculus magnus ac parvus, quantum brachium longum aut breve eſſe debeat? Quod ſi fallaci oculorum judicio rem totam committere ſatagat Phyſiognomiæ ſtudioſus, uſu ipſi veniet idem, quod nataturis ſine ſcirpo tyronibus.

CAP. III.

Utilitas in arte Pictoria, atq; Statuaria.

PIctoriam inter liberales referebat Galenus, *Orat. Suaſor. ad art. c. vi.* eſtq; revera ars ingenuo homine digniſſima. Imitator naturæ Medicus audit: nec minus ipſam æmulatur pictor, dubiam ſæpenumero illi reddens gloriæ palmam. Quotuſquiſque ignorat Apellis Protogeniſque laudes? Cui non dicta ſunt Zeuxis & Parrhaſij facinora? Moriuntur oppida, ferrum rubigo conſumit: ipſorum nominibus vim inferre nulla temporis edacitas potuit. Similis eſt Statuariæ dignitas, ni fortaſſe major: certant hercle de victoria iſtæ, & adhuc ſub judice lis eſt. Vivit adhuc Praxitelis Venus Gnidia furtivum paſſa coitum, & Phidiæ Iupiter Olympius ex ebore. *Plinius l. xxxiv. c. viij.*

Quicquid ſit, utraque ars tantum debet Anthropometriæ, ut abſque hac umbræ ſint: tantum abeſt, ut illum dignitatis gradum ſuſtinere valeant. Quamvis enim earum ſubiectum ſit, quodcunque gremio ſuo oſtentat tota hæc rerum univerſitas, nec ad ſolum hominem ipſa reſtringatur: extra tamen dubitationis aleam poſitum, nulla re magis, quam in effingendo homine, artificis eluceſcere ingenium. Atqui nec fingi, nec pingi homo artificioſe poterit ignorato mutuo partium commenſu, cujus ſolius beneficio ac uſu cum Vitruvio *l. iij. c. ij.* audacter aſſero, omnes olim egregios pictores tantam famæ celebritatem, tantaſque laudes fuiſſe aſſecutos:

immo quicunque ſequentium annorum longa ſucceſſione emicuerunt alicujus nominis artifices, antiquorum hac in re veſtigia preſſiſſe. Illuſtrat hujus ſententiæ veritatem ignarum genus rhyparographorum, ſculptorum, figulorum, fuſorumq; quorum vitia quotidie clamant imagines atque ſtatuæ inconcinnæ, & in quibus artificis imperitia merito deridetur illo Horatiano *l. De art. poet.* quando jungit

Humano capiti cervicem pictor equinam.

Profecto, niſi Staſicrati exacte conſtitiſſet de membrorum mutuo commenſu, quale is monſtrum ficturus fuiſſet ex Atho monte, quem aſſeverabat aptiſſimum eſſe recipiendæ Hephæſtionis figuræ, cui unice ac fratris loco dilecto, teſtimonio Curtij *lib.* 1. monumentum fieri pretioſiſſimum volebat domitor orbis Alexander? Promittebat autem Staſicrates, montem ita à ſe formatum iri, ut non ſolum Hephæſtionis referret corpus: ſed ut brachia quoque adaptarentur cum manibus, quarum dextra navigabile flumen in mare profunderet, ſiniſtra populoſum complecteretur oppidum. Coloſſus Solis Rhodi, quem fecerat Chares Lyndius, non tantum admirandus fuit ob vaſtitatem molis, ſed ob ſervatam ſimul membrorum ſpecioſam ſymmetriam. Eam in operibus ſuis præ reliquis diligentiſſime cuſtodiviſſe Lyſippum Plinius teſtatur *l. xxxiv. c. viij.* unde ſtatuariæ arti plurimum contulit, nova intactaq; ratione quadratas veterum ſtaturas permutando: vulgoque dicebat, ab illis factos quales eſſent homines, à ſe quales viderentur eſſe.

Nec eſt, quod quis per ſolas pictorum aut marmorariorum manus nobiliſſimam hanc ſcientiam vagatam olim eſſe ſuſpicetur, cum anteſignani Philoſophorum ab ea addiſcenda non abſtituerint: immo excelluerint adeo, ut ex menſura pedis Pythagoras mira ſubtilitate auſus ſit venari per certas collectiones proceritatem Herculis, referente Plutarcho in libro, quem *de Herculis, quali inter homines fuerit animi corporiſque ingenio & virtutibus*, conſcripſit. Nam cum fere conſtaret, curriculum ſtadij, quod eſt Piſæ ad Iovis Olympij, Herculem pedibus ſuis metatum, idq; feciſſe longum pedes ſexcentos; cætera quoq; ſtadia in terra Græcia ab alijs poſtea inſtituta, pedum quidem eſſe numero ſexcentum, ſed tamen aliquantulum breviora: facile intellexit, modum ſpatiumq; plantæ Herculis ratione proportionis habita, tanto fuiſſe quam aliorum procerius, quanto Olympicum ſtadium longius

eſſet,

eſſet, quam cætera. Comprehenſa autem menſura Herculani pedis, quanta longinquitas corporis ei menſuræ conveniret, ſecundum naturalem membrorum omnium inter ſe competentiam, modificatus eſt: atque ita collegit, quod erat conſequens: tanto fuiſſe Herculem corpore excelſiorem quam alios, quanto Olympicum ſtadium cæteris pari numero factis anteiret. *A. Gellius l.* 1. *Noct. Att. cap.* 1. Pari ratione narrat *Apollonius Grammaticus*, Neronis ætate terræ motum fuiſſe, quem etiam Siciliæ non paucæ urbes perſenſerint, quique Ponticas non paucas gentes afflixerit. Enimvero quibus locis terra à ſe divulſa fuit, ingentia eſse reperta cadavera, quorum magnitudine ſtupefacti incolæ non auſi ea loco movere, indicij cauſa Romam miſerunt dentem uni exemtum, qui pedis menſuram non attigit modo, ſed etiam ſuperavit, quem Legati Tiberio oſtendentes, ſimul etiam quæſiverunt, velletne heroem, cuius is fuerit, ad ſe afferri? Ibi Tiberius prudenter eo conſilia direxit, ut neque cognitione magnitudinis ſeipſum privaret & ſpoliandorum cadaverum flagitia evitaret. Inſignem quendam Geometram, nomine Pulchrum, faciem fingere iuſſit, proportione denti reſpondentem. Qui dimenſus, dentis quantitate perſpecta, quanta faciei, & quæ totius corporis moles futura eſset, celeriter opus abſolvit & ad Imperatorem attulit. Is ſufficere ſibi hoc ſpectaculum dicens, dentem eo, unde erat allatus, remiſit.

CAP. IV.

Utilitas Ethica.

SApientiæ præceptum eſt ex valvis templi Delphici translatum: Γνῶτι σεαυτόν. Ad animum illud referendum ſit, an ad corpus, à quam multis dubitatum fuit. Si quid certi hac in re dicendum, ego ad corpus imprimis illud referrem, ad animum ſecundario. Quod ſi etenim intellectus noſter eſt raſæ ſimilis tabulæ, in qua nihil ſcriptum eſt, ſcribi omnia poſsunt: ſi nihil eſt in intellectu, quod prius in ſenſu non fuerit, adeoque per inſtrumenta corporis actiones ſuas humana mens exercet: infallibiliter concluditur, quod cognitio corporis præcedere cognitionem animi debeat, quodque dicterium

Apol-

Apollineum primario nos ad corporis cognitionem exhortetur, quo perſpecta ejus fragilitate ad excolendum animum magis incendamur: immo ut hoc tramite in cognitionem animi noſtri, qualis ille ſit, facilius deducamur.

Confert huc ſuos uſus Anatome, viſcera aperiendo latentia: confert ſuos etiam Anthropometria, partium inter ſe proportionem mutuam expendens, etiamſi oppido pauci ſint, qui juſſu Horatij *l.* 1. *Epiſt.* ſuo ſe modulo ac pede metiantur. Geographorum ſubinde miror vix ſuperandam induſtriam, qua id præſtitum, quod majores noſtri nunquam crediderant. Miror tabulas eorum chorographicas & topographicas, quibus vel viliſſimorum pagorum diſtantias ſumma cura dimenſi ſunt. At miror non minus ipſorum oſcitantiam, qua pauciſſimi forſan ſua ipſorum corpora menſurare unquam inſtituerunt. Perelegans eſt triſtichon, quod vetus Epigrammatographus, negligentiæ huius cenſor argutus, nobis reliquit:

Εἰπὲ πόθεν σὺ μετρεῖς κοσμὸν, καὶ πείρατα γαίης,
Ἐξ ὀλίγης γαίης σῶμα φέρων ὀλίγον;
Σαυτὸν ἀρίθμησον πρότερον, καὶ γνῶτι σεαυτὸν,
Καὶ τότ' ἀριθμήσεις γαῖαν ἀπειρεσίην.
Εἰ δ' ὀλίγον πηλὸν τοῦ σώματος οὐ καταριθμεῖς,
Πῶς δύνασαι γνῶναι τῶν ἀμέτρων τὰ μέτρα;

Fare age, quid mundum metiris, & ultima terræ,
Cum tibi de modico ſit breve corpus humo?
Te prius explores, & noſce. hinc plurima vaſta
Sunt loca telluris dinumeranda tibi.
Corporis at ſi non glebam metire puſilli,
Qui potes innumeræ noſſe rei numerum?

Profecto ſi inſaniæ vicinus judicari meretur paterfamilias, qui ſitum, magnitudinem, atque conclavia alienarum ædium in digitis numerare, ſuæ domus neutiquam poſſet. multo magis eiuſmodi Geographus, proprio monſtrans exemplo, quam temere gnomen Delphicam neglexerit.

Nec vero eſt, quod quis cavilletur anguſtos humani corporis terminos, quorum ad machinam mundi auguſtiſſimam vix dari comparatio videtur. Etenim, ne quid de decantata omnibus Micro-

coſmi

coſmo & Macrocoſmi analogia in medium adducam, longe ſane plura ſunt accidentia, quæ rem quampiam reddere valent admiratione dignam, quam ſola magnitudo. Præterea continetur in unoquoque noſtrum, quicquid ſuperbiſſima univerſi habet moles. Celeritates orbium cœleſtium, arietantium elementorum, pullulantium ſatorum, arborum & animalium omnium naturæ & vices in puſillo ſpirant pectore noſtro. Parum eſt quod dixi, nec dum humilitas linguæ aſſurgit, quo debet, rerum miraculis depreſſa. Aethereos in nobis ſpiritus & Genios, Deumq; immenſum, quo nihil majus excogitari poteſt, anguſto cordis thalamo incluſum circumferimus. Itaq; non incredibile eſt (ſaltem ad mentem Poetarum) hominem poſſe omnia, atq; cœlo Lunam deducere, horrendis nimbis & fulminibus ſævire, ventorum geminare & minuere murmura, ipſamq; naturam potentiore quaſſare dextra. Habet veiq; hic philotheorus, quod ſpeculetur, quoq; animum ſuum cum oblectet, tum exerceat: nec eſt quod corporis parvitatem accuſet, quippe in quo tantæ latent opes, ut diligenter expenſæ vel ipſos gentiles ad veri Dei cultum haut raro commoverint. Ecquid obſecro præter hujuſmodi contemplationes, Galenum eo adegit, ut ſuos de uſu partium Commentarios ſapientiſſimo illi Conditori noſtro, ceu hymnum ſacrum componeret, *l. iij. c. x.* in eo veram eſſe pietatem exiſtimans, non ſi taurorum hecatombas ei plurimas quiſpiam ſacrificaverit, et caſias, aliaq; ſexcenta unguenta ſuffumigarit: ſed ſi noverit ipſe primus, deinde expoſuerit alijs, quænam ſit ipſius ſapientia, quæ providentia, quæ bonitas: ignoratio quorum ſumma impietas eſt, non ſi à ſacrificio abſtineas. Eapropter ultimum horum librorum ἐπῳδὸν inſignire voluit Galenus, ſimilitudine à Lyricorum choris deſumta, in quibus στροφὴ quædam erat, atque ἀντίστροφος tertius autem ἐπῳδὸς quo ſtantes ante deorum aras canebant, hymnis ipſos celebrantes, *l. xvij. c. ult.*

CAP. V.

Analogia humani corporis cum ſyſtemate mundi.

RΕcenſitis vtilitatibus, quibus præcipuis aliquot diſciplinis prodeſt doctrina anthropometrica, & quomodo varijs hominum generibus inſeruiat: ad rem nunc propius accedamus, locuturi initio de ijs, quæ ad proportionem corporis humani generatim ſpectant, poſtea partes ſingulas ſingulatim examinabimus.

Inter illa prima ſtatim fronte ſe offert proportio pulcherrima, quam corpus humanum obtinet ad ſyſtema relatum uniuerſi: de qua analogia dicendi hic locus eſſet per quam opportunus. Eſt enim homo, ex ſententia Philoſophi *l.1.Hiſt.Anim.c.15.* ad vniuerſi orbis habitū inſtitutus; immo parvus quidam mundus, vt ab eodem nominatur *l.viij. Phyſic. t.xvij.* dum in hæc verba prorumpit: ***Si in animali hoc fieri poteſt, quid prohibet idem hoc accidere & in Vniuerſo? Si enim in parvo mundo fit, & in magno: & ſi in mundo, & in infinito.*** Etenim quemadmodum anima hominis nobiliſſima eſt formarum omnium, quæ ſub Lunæ concauo exiſtunt: ita corpus eiuſdem metron abſolutiſſimum eſt corporum omnium. *l. ij. de anima t.xxix. & l.vi.Ethic.c.vij.* Non poteſt, auctore Vitruvio *l.iij. Archit.c.ij.* ædes ulla rationem habere compoſitionis, niſi ad hominis bene figurati membra habuerit exactam rationem. Quod ſi dixero, ipſam mundi compagem eſſe ad ſymmetriam hominis bene figurati coagmentatam, ſuffragium merebor ipſius Ariſtotelis, qui in vtroque ſex agnovit loci poſitiones ſeu differentias, quarum binæ ex ſingulis dimenſionum ſpeciebus enaſcūtur *l.ij. de Cæl. t. vij. & ſeqq.* Longitudinis enim principium Surſum nominat, finem Deorſum. Latitudinis principium Dextrum eſt, finis Siniſtrum. Profunditatis principium Ante, Retro finis. Cleomedes apud Cœlium Rhodiginum *l.1.c.x.* uniuerſi partem ſuperiorem cœlum eſſe cenſebat, inferiorem terram: anterius occidentem, poſterius orientem: dextrorſum ſeptentrionem, ſiniſtrorſum meridiem. Augurum ſcientia dextras ad meridiem partes ſtatuit, ad Septentrionem ſi-

niſtras, teſtimonio T.Livij 1.*ab Vrb.* Varro *l.6.de Ling.Lat. fragm.* paullo aliter eas partes digeſſit, aliterque alij, vt videre eſt apud Pierium *l. iij. Hieroglyph. in Tauro.* Quicquid ſit, homini quoque ſuæ ſunt plagæ: Facies pro oriente pro occidente Dorſum, Latera meridiem ſpectantia & ſeptentrionem. Caput cœlum refert, terram pedes teruunt: ſicut contra plantarum ea pars, qua alimentum ſugunt, terræ infigitur, unde homo planta inverſa dicitur, aut planta potius homo inverſus; qua de re diſſerit contra Empedoclem Philoſophus *l.ij. de Anim. t.xxxviij.* Præeſt ſuo Luna capiti, thoraci Sol, Venus abdomini: quatuor extrema reliqui occupant Planetæ. Ea ſingula eleganti effigie expreſſit Cornelius Agrippa *l.ij.Occult. Philoſoph.c.xxij.* Summatim: *Habet homo partes ſuas ita diſpoſitas, vt in eo & ſuperius ſit, & inferius, & prius, & poſterius, & dextrum, & ſiniſtrum, ad ſitum orbis uniuerſi ſuperiorem, inferioremque, quum cæterorum animalium genus vel omnino reſpectu eiuſmodi careat, vel confuſius conſtet,* ex lib. 1. Hiſt. Anim. c.xv.

Ita controuerſum eſt centrum mundi, dum Ptolomæus terram, Solem Copernicus illud conſtituit: controuerſum itidem centrum microcoſmi, quod alij in vmbilico, in pube alij collocant, aut præcordijs. Pubes ſanè centrum eſt hominis expanſi, decuſſati umbilicus, præcordia extenſi. Patitur ſua meteora uniuerſum, dum à radijs ſolaribus eleuati vapores in nebulas, nubes, grandinem, nives coagulantur. In Paruo mundo aſcendunt exhalationes ex inferiori corporis regione, caputque petentes illud implent tantiſper, dum in formam lachrymarum, aut muci, aut ſputi collectæ per oculos, aut nares, aut palatum expurgantur. Audiuntur fremitus in terræ motu, & tonitrua in aere: audiuntur etiam in homine bombi abdominis, ructus oris, tuſſes pulmonum, ſternutationes naſi, tinnitus aurium. Fertur Oceanus per occultos meatuum anfractus, vſque dum ex terræ penetralibus erumpens, in flumina ſe promat Oceanum mox repetitura. Fertur ſanguis ex corde per arteriarum ramoſos canales ad extremas corporis partes, quo vſque in venarum oſcula receptus magno impetu ad fontem ſuum redeat: quem circulum noſtra nobis detexit ætas. Vnde Manilius lib.iv.

Quid mirum, noſcere mundum
Si poſſunt homines, quibus eſt & mundus in ipſis,
Exemplumque Dei, quiſque eſt in imagine parva?

Corpus humanum quoniam quantum eſt, trina dimenſione neceſſario conſtat, reſolviturq; in ſuperficies & lineas omnis generis. Illæ ſuperficies & lineæ quamvis in formatione fœtus inter ſe coadaptentur eo pacto, ut reſultet figura ſingulis hominibus communis: ipſa tamen nec ſummum perfectionis gradum ſemper attingit, & cum vitio requiſitæ proportionis frequenter eſt coniuncta. Sic tibiæ figura communis eſt, quod ſit recta, oblonga, ac pene teres: nec tamen his abſolvitur integra tibiæ conformatio, cum reſpectu ſui corporis peccare adhuc nimia longitudine aut brevitate queat. Atque hinc oritur tanta membrorum, immo ipſorum hominum inter ſe diſſimilitudo, ut duos penitus ſimiles vidiſſe miraculo ſit. *Plinius lib. vij. c.* 1. Scire hæc vitia figurarum tam in exceſſu, quam defectu, tantopere Medici intereſt, ut diſertis verbis id præceperit ipſemet medicinæ parens *l. De veteri med.* *Multæ aliæ ſunt,* ait, *& extra & intra corpus figurarum ſpecies, quæ magnopere differunt, quod ad affectiones attinet, tum ægroto, tum ſano. Velut capita parva aut magna, colla tenuia aut craſſa, longa aut brevia, ventres longi aut rotundi, pectoris & coſtarum latitudines aut anguſtiæ, & alia infinita, quæ omnia noſſe oportet quatenus differant, quo cauſſas ſingulorum cognitas probe obſerves.* At quotuſquiſque hæc omnia noſſe poterit ante, quam notitiam perfecti corporis ſibi comparaverit, ad quod tanquam Polycleti ſtatuam, de qua Fabius *l. xx. cap. x.* errores reliquorum examinet? Ecquis probabit vilitatem æris auro incognito, æſtimabit abſq; vitiorum extremis virtutem, aut recti neſcius obliquum? Anthropometria autem eſt ille Polycleti canon, eſt lapis Lydius, eſt regula recti. Ea inſtructus differentias figurarum excedentes vel deficientes protinus diſcernet, temperamenta hominum facillime augurabitur, multarum tricas difficultatum in lectione Veterum feliciter expediet. Exacte ſciet, quales ſint ad tabem magis diſpoſiti, quos φθινώδεας nominabat Hippocrates, & πτερυγώδεις Galenus, anguſto pectore & ſcapulis alatis. Perfecte noverit, cuiuſmodi genus hominum fuerint Macrocephali apud eundem Hippocratem, quid ſit acutum caput, quid valida cervix, & exinde robur colliget oſſium, aliarumque partium, ex *vi. Epidem. ſect.* 1. quales ſint ventres graciles, & quod cum periculo purgentur inferius, ex *ij. Aphor. xxxv.* Item longis pedibus præditos alvo fluentiori eſſe, & propterea lenius evacuandos: qua de re conferatur Spigelius *l.* 1. *De hum. corp. fabr. c. vi.* Callebit ex decreto Hippo-

cratis

cratis *l. de Fractur.* luxationum & fracturarum extenſiones quam directiſſimas facere: quum conſtet, artus luxatos aut fractos ſe ipſis integris multo fieri breviores; quam contractionem neceſſario ſequitur figuræ naturalis immutatio. Ea terrebit imperitum chirurgum, facile emendabitur ab illo, qui medias membrorum figuras ex doctrina anthropometrica ſibi familiares reddiderit.

Cæterum contendet naſutus aliquis, non eſſe opus tanto apparatu in addiſcendis corporis figuris, cum quilibet de plebe ciceris emtor caput magnum à parvo, ventrem gracilem ab obeſo diſcernere non nequeat. At vero, non hic agitur de conferendis duorum hominum capitibus inter ſe, quæ res obvia eſt: ſed iudicandum de uno ſolo, reſpectu ſui corporis, an rite ſit proportionatum, necne. Et quomodo quæſo idiota aliquis de ventris tenuitate ſententiam feret ex fundamentis artis, debitaque menſura, quam ignorat? Quod ſi ſolo aſpectu bene judicet, id fortuito accidit. Fortuna autem & caſus exulant à ſcienti;s, nec habent cauſſam definitam, ex Ariſtotelis *l. ij. Phyſic. c. iv.*

Non deſunt plura, eaque inſignia emolumenta, quæ ex doctrina hac in Medicinæ cultores affatim redundare poſſint. Verum ipſis recenſendis cum vitandæ prolixitatis gratia ſuperſedere cogamur, ad Phyſiognomica ob materiæ affinitatem jam nunc tranſibimus.

CAP. II.

Utilitas in ſcientia Phyſiognomonica.

Divinationum genera alia ſuperſtitioſa ſunt, alia naturalia. Divinat licite agricola de futura aeris temperie ex traditione avita: Aſtronomus eclipſes poſt ſecula venturas prævidet: per ſigna Medicus judicat de morbi eventu. Adeo non eſt abſurdum, mentem humanam rerum præſciam eſſe futurarum.

Non differt à prognoſi medica divinationis illa ſpecies, quam phyſiognomonicam vocamus: & ſi differt, in ſolo fine erit diſcrepantia, cum ſubiecto plane conveniant, quod utrique eſt corpus humanum. Nec tamen mihi hic ſermo de latiſſima illa Phyſiognomiæ acceptione, qua Naturæ cognitionem ſonat, dividiturque in Cœleſtem,

Herbariam, Brutorum atq; Humanam, de quibus ſingulis extant peculiares Tractatus ſolertiſſimi naturæ ſcrutatoris Io. B. Portæ Neapolitani. Humanam ſolam indigito, quæ reliquas tantum ſuperat, quantum viburna lenta celſiſſimæ cupreſſi. Summus naturæ apex eſt homo, & cippus mundano ædificio complementi vice impoſitus: circa cujus cognitionem quæcunque occupantur ſcientiæ, neceſſario alias humiliori gradu damnant.

Occupantur circa ipſum & Medicus & Phyſiognomon, cognatione ob cõmunionem ſubiecti arctiſſima. Anquirit in hominis temperamentum per ſigna Medicus, idem factitat Phyſiognomon: ille ad cognitionem morbi, hic ad cognitionem ingenij. Cognito ingenio patent *mores animi*, quos *temperamentum corporis ſequi*, ad mentem Platonis, Ariſtotelis ac Hippocratis ſingulari libello Galenus oſtendit. Perſpectis ingenio ac moribus hominis in proclivi erit, prudenti quadam illatione de actionibus, quales futuræ ſint, ſententiam ferre. Sane ſi ſuæ quiſque fortunæ faber eſt, nec caſu cœco omnia rapiuntur: concedere cogimur, fore ut bonas actiones bona ſequantur, pravas infortunia. Quod ſi contrarium evenerit, erit illud ex accidenti, de quo non judicat ſcientia.

Habent nihilominus præter hæc ſigna cum Medicis communia, propria quædam Phyſiognomi, ex quibus de natura & fortuna hominum aliquid colligunt, quæq; ipſis ſuggeſſit aut conjectura ſagax, aut diuturna obſeruatio. Quin immo communia illa ſigna ſibi propria reddunt, ad ſuum finem ea dirigendo atq; reſtringendo. Et quanquam ſigna in univerſum fere nitantur accidentibus varijs, deſumanturque a partium quantitate, numero, colore, & id genus alijs: quantitas tamen in pleriſq; prævalet. Ita ex fronte mediocri optima quæq; auguratur Phyſiognomon: ex juſto majori ſegnem & craſſum intellectum arguit: ex parvula nihil ſibi promittit auguſti. Rotundam iracundi argumentum eſſe, & latam in phreneſin proni, ſtatuebat Ariſtoteles *l.1. Hiſt. Anim. c.viij.* Diſtantia umbilici à præcordijs reſpõdere debet pectoris longitudini. eamq ſi excedat, voracitatis hominem redarguit, teſtimonio eiuſdem *l. Phyſiogn. c.vj*. Brachiorum breuitatem imbecillioris hominis indicium eſſe, fidem fecit crebra animadverſio, longitudinem robuſti. Ex oculis magnis bonitatem, ex parvis malitiam prędicat Hippocrates *l.2. Epidem ſ.5*. Capite parvo prę-

ditum

ditum neq; balbum eſſe poſse, neq; calvum, niſi fuerit glaueus, idem auctor eſt ibidem *ſect. v.*

Et quid attinet, infinita ejuſmodi huc accumulaſse, cum Sole meridiano clarius ſit, neminem abſq; notitia naturalis genuinæq; quantitatis, accurate intelligere, quantus oculus magnus ac parvus, quantum brachium longum aut breve eſse debeat? Quod ſi fallaci oculorum judicio rem totam committere ſatagat Phyſiognomiæ ſtudioſus, uſu ipſi veniet idem, quod nataturis ſine ſcirpo tyronibus.

CAP. III.

Utilitas in arte Pictoria, atq; Statuaria.

PIctoriam inter liberales referebat Galenus, *Orat. Suaſor. ad art. c. vi.* eſtq; revera ars ingenuo homine digniſſima. Imitator naturæ Medicus audit: nec minus ipſam æmulatur pictor, dubiam ſæpenumero illi reddens gloriæ palmam. Quotuſquiſque ignorat Apellis Protogeniſque laudes? Cui non dicta ſunt Zeuxis & Parrhaſij facinora? Moriuntur oppida, ferrum rubigo conſumit: ipſorum nominibus vim inferre nulla temporis edacitas potuit. Similis eſt Statuariæ dignitas, ni fortaſſe major: certant hercle de victoria iſtæ, & adhuc ſub judice lis eſt. Vivit adhuc Praxitelis Venus Gnidia furtivum paſſa coitum, & Phidiæ Iupiter Olympius ex ebore. *Plinius l. xxxiv. c. viij.*

Quicquid ſit, utraque ars tantum debet Anthropometriæ, ut abſque hac umbræ ſint: tantum abeſt, ut illum dignitatis gradum ſuſtinere valeant. Quamvis enim earum ſubiectum ſit, quodcunque gremio ſuo oſtentat tota hæc rerum univerſitas, ne c ad ſolum hominem ipſa reſtringatur: extra tamen dubitationis aleam poſitum, nulla re magis, quam in effingendo homine, artificis eluceſcere ingenium. Atqui nec fingi, nec pingi homo artificioſe poterit ignorato mutuo partium commenſu, cujus ſolius beneficio ac uſu cum Vitruvio *l. iij. c. y.* audacter aſſero, omnes olim egregios pictores tantam famæ celebritatem, tantaſque laudes fuiſſe aſſecutos:

immo quicunque ſequentium annorum longa ſucceſſione enituerunt alicujus nominis artifices, antiquorum hac in re veſtigia preſſiſſe. Illuſtrat hujus ſententiæ veritatem ignarum genus rhyparographorum, ſculptorum, figulorum, fuſorumq; quorum vitia quotidie clamant imagines atque ſtatuæ inconcinnæ, & in quibus artificis imperitia merito deridetur illo Horatiano *l. De art. poet.* quando jungit

Humano capiti cervicem pictor equinam.

Profecto, niſi Staſicrati exacte conſtitiſſet de membrorum mutuo commenſu, quale is monſtrum ficturus fuiſſet ex Atho monte, quem aſſeverabat aptiſſimum eſſe recipiendæ Hephæſtionis figuræ, cui unice ac fratris loco dilecto, teſtimonio Curtij *lib.* 1. monumentum fieri pretioſiſſimum volebat domitor orbis Alexander? Promittebat autem Staſicrates, montem ita à ſe formatum iri, ut non ſolum Hephæſtionis referret corpus: ſed ut brachia quoque adaptarentur cum manibus, quarum dextra navigabile flumen in mare profunderet, ſiniſtra populoſum complecteretur oppidum. Coloſſus Solis Rhodi, quem fecerat Chares Lyndius, non tantum admirandus fuit ob vaſtitatem molis, ſed ob ſervatam ſimul membrorum ſpecioſam ſymmetriam. Eam in operibus ſuis præ reliquis diligentiſſime cuſtodiviſſe Lyſippum Plinius teſtatur *l. xxxiv. c. viij.* unde ſtatuariæ arti plurimum contulit, nova intactaq; ratione quadratas veterum ſtaturas permutando: vulgoque dicebat, ab illis factos quales eſſent homines, à ſe quales viderentur eſſe.

Nec eſt, quod quis per ſolas pictorum aut marmorariorum manus nobiliſſimam hanc ſcientiam vagatam olim eſſe ſuſpicetur, cum anteſignani Philoſophorum ab ea addiſcenda non abſtituerint: immo excelluerint adeo, ut ex menſura pedis Pythagoras mira ſubtilitate auſus ſit venari per certas collectiones proceritatem Herculis, referente Plutarcho in libro, quem *de Herculis, quali inter homines fuerit animi corporiſque ingenio & virtutibus*, conſcripſit. Nam cum fere conſtaret, curriculum ſtadij, quod eſt Piſæ ad Iovis Olympij, Herculem pedibus ſuis metatum, idq; feciſſe longum pedes ſexcentos; cætera quoq; ſtadia in terra Græcia ab alijs poſtea inſtituta, pedum quidem eſſe numero ſexcentum, ſed tamen aliquantulum breviora: facile intellexit, modum ſpatiumq; plantæ Herculis ratione proportionis habita, tanto fuiſſe quam aliorum procerius, quanto Olympicum ſtadium longius

eſſet,

eſſet, quam cætera. Comprehenſa autem menſura Herculani pedis, quanta longinquitas corporis ei menſuræ conveniret, ſecundum naturalem membrorum omnium inter ſe competentiam, modificatus eſt: atque ita collegit, quod erat conſequens: tanto fuiſſe Herculem corpore excelſiorem quam alios, quanto Olympicum ſtadium cæteris pari numero factis anteiret. *A. Gellius l.* 1. *Noct. Att. cap.* 1. Pari ratione narrat *Apollonius Grammaticus*, Neronis ætate terræ motum fuiſſe, quem etiam Siciliæ non paucæ urbes perſenſerint, quique Ponticas non paucas gentes afflixerit. Enimvero quibus locis terra à ſe divulſa fuit, ingentia eſse reperta cadavera, quorum magnitudine ſtupefacti incolæ non auſi ea loco movere, indicij cauſa Romam miſerunt dentem uni exemtum, qui pedis menſuram non attigit modo, ſed etiam ſuperavit, quem Legati Tiberio oſtendentes, ſimul etiam quæſiverunt, velletne heroem, cuius is fuerit, ad ſe afferri? Ibi Tiberius prudenter eo conſilia direxit, ut neque cognitione magnitudinis ſeipſum privaret & ſpoliandorum cadaverum flagitia evitaret. Inſignem quendam Geometram, nomine Pulchrum, faciem fingere iuſſit, proportione denti reſpondentem. Qui dimenſus, dentis quantitate perſpecta, quanta faciei, & quæ totius corporis moles futura eſset, celeriter opus abſolvit & ad Imperatorem attulit. Is ſufficere ſibi hoc ſpectaculum dicens, dentem eo, unde erat allatus, remiſit.

CAP. IV.

Utilitas Ethica.

SApientiæ præceptum eſt ex valvis templi Delphici translatum: Γνῶτι σεαυτόν. Ad animum illud referendum ſit, an ad corpus, à quam multis dubitatum fuit. Si quid certi hac in re dicendum, ego ad corpus imprimis illud referrem, ad animum ſecundario. Quod ſi etenim intellectus noſter eſt raſæ ſimilis tabulæ, in qua nihil ſcriptum eſt, ſcribi omnia poſsunt: ſi nihil eſt in intellectu, quod prius in ſenſu non fuerit, adeoque per inſtrumenta corporis actiones ſuas humana mens exercet: infallibiliter concluditur, quod cognitio corporis præcedere cognitionem animi debeat, quodque dicterium

Apollineum primario nos ad corporis cognitionem exhortetur, quo perſpecta ejus fragilitate ad excolendum animum magis incendamur: immo ut hoc tramite in cognitionem animi noſtri, qualis ille ſit, facilius deducamur.

Confert huc ſuos uſus Anatome, viſcera aperiendo latentia: confert ſuos etiam Anthropometria, partium inter ſe proportionem mutuam expendens, etiamſi oppido pauci ſint, qui juſſu Horatij *l.* 1. *Epiſt.* ſuo ſe modulo ac pede metiantur. Geographorum ſubinde miror vix ſuperandam induſtriam, qua id præſtitum, quod majores noſtri nunquam crediſiſſent. Miror tabulas eorum chorographicas & topographicas, quibus vel viliſſimorum pagorum diſtantias ſumma cura dimenſi ſunt. At miror non minus ipſorum oſcitantiam, qua pauciſſimi forſan ſua ipſorum corpora menſurare unquam inſtituerunt. Perelegans eſt triſtichon, quod vetus Epigrammatographus, negligentiæ huius cenſor argutus, nobis reliquit:

Εἰπὲ πόθεν σὺ μετρεῖς κοσμὸν, ϗ πείρατα γαίης,
Ἐξ ὀλίγης γαίης σῶμα φέρων ὀλίγον;
Σαυτὸν ἀρίθμησον πρότερον, ϗ γνῶθι σεαυτὸν,
Καὶ τότ' ἀριθμήσεις γαῖαν ἀπειρεσίην.
Εἰδ' ὀλίγον πηλὸν τοῦ σώματος οὐ καταριθμεῖς,
Πῶς δύνασαι γνῶναι τῶν ἀμέτρων τὰ μέτρα;

Fare age, quid mundum metiris, & ultima terræ,
Cum tibi de modico ſit breve corpus humo?
Te prius explores, & noſce. hinc plurima vaſta
Sunt loca telluris dinumeranda tibi.
Corporis at ſi non glebam metire puſilli,
Qui potes innumeræ noſſe rei numerum?

Profecto ſi inſaniæ vicinus judicari meretur paterfamiliſias, qui ſitum, magnitudinem, atque conclavia alienarum ædium in digitis numerare, ſuæ domus neutiquam poſſet. multo magis ciuſmodi Geographus, proprio monſtrans exemplo, quam temere gnomen Delphicam neglexerit.

Nec vero eſt, quod quis cavilletur anguſtos humani corporis terminos, quorum ad machinam mundi auguſtiſſimam vix dari comparatio videtur. Etenim, ne quid de decantata omnibus Micro-

coſmi

coſmo & Macrocoſmi analogia in medium adducam, longe ſane plura ſunt accidentia, quæ rem quampiam reddere valent admiratione dignam, quam ſola magnitudo. Præterea continetur in unoquoque noſtrum, quicquid ſuperbiſſima univerſi habet moles. Celeritates orbium cœleſtium, arietantium elementorum, pullulantium ſatorum, arborum & animalium omnium naturæ & vices in puſillo ſpirant pectore noſtro. Parum eſt quod dixi, nec dum humilitas linguæ aſſurgit, quo debet, rerum miraculis depreſſa. Aethereos in nobis ſpiritus & Genios, Deumq; immenſum, quo nihil majus excogitari poteſt, anguſto cordis thalamo incluſum circumferimus. Itaq; non incredibile eſt (ſaltem ad mentem Poetarum) hominem poſſe omnia, atq; cœlo Lunam deducere, horrendis nimbis & fulminibus ſævire, ventorum geminare & minuere murmura, ipſamq; naturam potentiore quaſſare dextra. Habet utiq; hic philotheorus, quod ſpeculetur, quoq; animum ſuum cum oblectet, tum exerceat: nec eſt quod corporis parvitatem accuſet, quippe in quo tantæ latent opes, ut diligenter expenſæ vel ipſos gentiles ad veri Dei cultum haut raro commoverint. Ecquid obſecro præter hujuſmodi contemplationes, Galenum eo adegit, ut ſuos de uſu partium Commentarios ſapientiſſimo illi Conditori noſtro, ceu hymnum ſacrum componeret, *l. iij. c. x.* in eo veram eſſe pietatem exiſtimans, non ſi taurorum hecatombas ei plurimas quiſpiam ſacrificaverit, et caſias, aliaq; ſexcenta unguenta ſuffumigarit: ſed ſi noverit ipſe primus, deinde expoſuerit alijs, quænam ſit ipſius ſapientia, quæ providentia, quæ bonitas: ignoratio quorum ſumma impietas eſt, non ſi à ſacrificio abſtineas. Eapropter ultimum horum librorum ἐπῳδὸν inſignire voluit Galenus, ſimilitudine à Lyricorum choris deſumta, in quibus στροφὴ quædam erat, atque ἀντίστροφος tertius autem ἐπῳδὸς quo ſtantes ante deorum aras canebant, hymnis ipſos celebrantes, *l. xvij. c. ult.*

CAP. V.

Analogia humani corporis cum ſyſtemate mundi.

RECenſitis vtilitatibus, quibus præcipuis aliquot diſciplinis prodeſt doctrina anthropometrica, & quomodo varijs hominum generibus inſeruiat: ad rem nunc propius accedamus, locuturi initio de ijs, quæ ad proportionem corporis humani generatim ſpectant, poſtea partes ſingulas ſingulatim examinabimus.

Inter illa prima ſtatim fronte ſe offert proportio pulcherrima, quam corpus humanum obtinet ad ſyſtema relatum uniuerſi: de qua analogia dicendi hic locus eſſet per quam opportunus. Eſt enim homo, ex ſententia Philoſophi *l.1.Hiſt.Anim.c.15.* ad vniuerſi orbis habitū inſtitutus; immo parvus quidam mundus, vt ab eodem nominatur *l.viij. Phyſic. t.xvij.* dum in hæc verba prorumpit: *Si in animali hoc fieri poteſt, quid prohibet idem hoc accidere & in Vniuerſo? Si enim in parvo mundo fit, & in magno: & ſi in mundo, & in infinito.* Etenim quemadmodum anima hominis nobiliſſima eſt formarum omnium, quæ ſub Lunæ concauo exiſtunt: ita corpus eiuſdem metron abſolutiſſimum eſt corporum omnium. *l.ij.de anima t.xxix. & l.vi.Ethic.c.vij.* Non poteſt, auctore Vitruvio *l.iij. Archit.c.ij.* ædes ulla rationem habere compoſitionis, niſi ad hominis bene figurati membra habuerit exactam rationem. Quod ſi dixero, ipſam mundi compagem eſſe ad ſymmetriam hominis bene figurati coagmentatam, ſuffragium merebor ipſius Ariſtotelis, qui in vtroque ſex agnovit loci poſitiones ſeu differentias, quarum binæ ex ſingulis dimenſionum ſpeciebus enaſcũtur *l.ij. de Cœl. t. vij. & ſeqq.* Longitudinis enim principium Surſum nominat, finem Deorſum. Latitudinis principium Dextrum eſt, finis Siniſtrum. Profunditatis principium Ante, Retro finis. Cleomedes apud Cœlium Rhodiginum *l.1.c.x.* uniuerſi partem ſuperiorem cœlum eſſe cenſebat, inferiorem terram: anterius occidentem, poſterius orientem: dextrorſum ſeptentrionem, ſiniſtrorſum meridiem. Augurum ſcientia dextras ad meridiem partes ſtatuit, ad Septentrionem ſi-

niſtras, teſtimonio T. Livij 1. *ab Vrb.* Varro *l.6. de Ling. Lat. fragm.* paullo aliter eas partes digeſſit, aliterque alij, vt videre eſt apud Pierium *l. iij. Hieroglyph. in Tauro.* Quicquid ſit, homini quoque ſuæ ſunt plagæ: Facies pro oriente pro occidente Dorſum, Latera meridiem ſpectantia & ſeptentrionem. Caput cœlum refert, terram pedes teruunt: ſicut contra plantarum ea pars, qua alimentum ſugunt, terræ infigitur, unde homo planta inverſa dicitur, aut planta potius homo inverſus; qua de re diſſerit contra Empedoclem Philoſophus *l. ij. de Anim. t. xxxviij.* Præeſt ſuo Luna capiti, thoraci Sol, Venus abdomini: quatuor extrema reliqui occupant Planetæ. Ea ſingula eleganti effigie expreſſit Cornelius Agrippa *l. ij. Occult. Philoſoph. c. xxij.* Summatim: *Habet homo partes ſuas ita diſpoſitas, vt in eo & ſuperius ſit, & inferius, & prius, & poſterius, & dextrum, & ſiniſtrum, ad ſitum orbis uniuerſi ſuperiorem, inferioremque, quum cæterorum animalium genus vel omnino reſpectu eiuſmodi careat, vel confuſius conſtet,* ex lib. 1. Hiſt. Anim. c. xv.

Ita controuerſum eſt centrum mundi, dum Ptolomæus terram, Solem Copernicus illud conſtituit: controuerſum itidem centrum microcoſmi, quod alij in vmbilico, in pube alij collocant, aut præcordijs. Pubes ſanè centrum eſt hominis expanſi, decuſſati u mbilicus, præcordia extenſi. Patitur ſua meteora uniuerſum, dum à radijs ſolaribus eleuati vapores in nebulas, nubes, grandinem, nives coagulantur. In Paruo mundo aſcendunt exhalationes ex inferiori corporis regione, caputque petentes illud implent tantiſper, dum in formam lachrymarum, aut muci, aut ſputi collectæ per oculos, aut nares, aut palatum expurgantur. Audiuntur fremitus in terræ motu, & tonitrua in aere: audiuntur etiam in homine bombi abdominis, ructus oris, tuſſes pulmonum, ſternutationes naſi, tinnitus aurium. Fertur Oceanus per occultos meatuum anfractus, vſque dum ex terræ penetralibus erumpens, in flumina ſe promat Oceanum mox repetitura. Fertur ſanguis ex corde per arteriarum ramoſos canales ad extremas corporis partes, quo vſque in venarum oſcula receptus magno impetu ad fontem ſuum redeat: quem circulum noſtra nobis detexit ætas. Vnde Manilius lib. iv.

Quid mirum, noſcere mundum
Si poſſunt homines, quibus eſt & mundus in ipſis,
Exemplumque Dei, quiſque eſt in imagine parva?

CAP. V.

Analogia humani corporis cum ſyſtemate mundi.

RElcenſitis vtilitatibus, quibus præcipuis aliquot diſciplinis prodeſt doctrina anthropometrica, & quomodo varijs hominum generibus inſeruiat: ad rem nunc propius accedamus, locuturi initio de ijs, quæ ad proportionem corporis humani generatim ſpectant, poſtea partes ſingulas ſingulatim examinabimus.

Inter illa prima ſtatim fronte ſe offert proportio pulcherrima, quam corpus humanum obtinet ad ſyſtema relatum vniuerſi: de qua analogia dicendi hic locus eſſet per quam opportunus. Eſt enim homo, ex ſententia Philoſophi *l.1.Hiſt.Anim.c.15.* ad vniuerſi orbis habitū inſtitutus; immo parvus quidam mundus, vt ab eodem nominatur *l.viij. Phyſic. t.xvij.* dum in hæc verba prorumpit: *Si in animali hoc fieri poteſt, quid prohibet idem hoc accidere & in Vniuerſo? Si enim in parvo mundo fit, & in magno: & ſi in mundo, & in infinito.* Etenim quemadmodum anima hominis nobiliſſima eſt formarum omnium, quæ ſub Lunæ concauo exiſtunt: ita corpus eiuſdem metron abſolutiſſimum eſt corporum omnium. *l. ij. de anima t.xxix. & l.vi.Ethic.c.vij.* Non poteſt, auctore Vitruvio *l.iij. Archit.c.ij.* ædes ulla rationem habere compoſitionis, niſi ad hominis bene figurati membra habuerit exactam rationem. Quod ſi dixero, ipſam mundi compagem eſſe ad ſymmetriam hominis bene figurati coagmentatam, ſuffragium merebor ipſius Ariſtotelis, qui in vtroque ſex agnovit loci poſitiones ſeu differentias, quarum binæ ex ſingulis dimenſionum ſpeciebus enaſcūtur *l.ij. de Cœl. t. vij. & ſeqq.* Longitudinis enim principium Surſum nominat, finem Deorſum. Latitudinis principium Dextrum eſt, finis Siniſtrum. Profunditatis principium Ante, Retro finis. Cleomedes apud Cœlium Rhodiginum *l.1.c.x.* vniuerſi partem ſuperiorem cœlum eſſe cenſebat, inferiorem terram: anterius occidentem, poſterius orientem: dextrorſum ſeptentrionem, ſiniſtrorſum meridiem. Augurum ſcientia dextras ad meridiem partes ſtatuit, ad Septentrionem ſi-

niſtras, teſtimonio T.Livij 1.*ab Urb.* Varro *l.6.de Ling.Lat. fragm.* paullo aliter eas partes digeſſit, aliterque alij, vt videre eſt apud Pierium *l. iij. Hieroglyph. in Tauro.* Quicquid ſit, homini quoque ſuæ ſunt plagæ: Facies pro oriente, pro occidente Dorſum, Latera meridiem ſpectantia & ſeptentrionem. Caput cœlum refert, terram pedes teruunt: ſicut contra plantarum ea pars, qua alimentum ſugunt, terræ infigitur, unde homo planta inverſa dicitur, aut planta potius homo inverſus; qua de re diſſerit contra Empedoclem Philoſophus *l.ij. de Anim. t.xxxviij.* Præeſt ſuo Luna capiti, thoraci Sol, Venus abdomini: quatuor extrema reliqui occupant Planetæ. Ea ſingula eleganti effigie expreſſit Cornelius Agrippa *l.ij.Occult. Philoſoph.c.xxij.* Summatim: *Habet homo partes ſuas ita diſpoſitas, vt in eo & ſuperius ſit, & inferius, & prius, & poſterius, & dextrum, & ſiniſtrum, ad ſitum orbis uniuerſi ſuperiorem, inferioremque, quum cæterorum animalium genus vel omnino reſpectu eiuſmodi careat, vel confuſius conſtet*, ex lib. 1. Hiſt. Anim. c.xv.

Ita controuerſum eſt centrum mundi, dum Ptolomæus terram, Solem Copernicus illud conſtituit: controuerſum itidem centrum microcoſmi, quod alij in vmbilico, in pube alij collocant, aut præcordijs. Pubes ſanè centrum eſt hominis expanſi, decuſſati umbilicus, præcordia extenſi. Patitur ſua meteora uniuerſum, dum à radijs ſolaribus eleuati vapores in nebulas, nubes, grandinem, nives coagulantur. In Paruo mundo aſcendunt exhalationes ex inferiori corporis regione, caputque petentes illud implent tantiſper, dum in formam lachrymarum, aut muci, aut ſputi collectæ per oculos, aut nares, aut palatum expurgantur. Audiuntur fremitus in terræ motu, & tonitrua in aere: audiuntur etiam in homine bombi abdominis, ructus oris, tuſſes pulmonum, ſternutationes naſi, tinnitus aurium. Fertur Oceanus per occultos meatuum anfractus, vſque dum ex terræ penetralibus erumpens, in flumina ſe promat Oceanum mox repetitura. Fertur ſanguis ex corde per arteriarum ramoſos canales ad extremas corporis partes, quo vſque in venarum oſcula receptus magno impetu ad fontem ſuum redeat: quem circulum noſtra nobis detexit ætas. Vnde Manilius lib.iv.

Quid mirum, noſcere mundum
Si poſſunt homines, quibus eſt & mundus in ipſis,
Exemplumque Dei, quiſque eſt in imagine parva?

Nos, ne poſt Homerum Iliada ſcripturi videamur, gradum hic ſiſtimus, nec in quærendis ſimilitudinibus ulterius progredimur: præſertim cum argumentum hoc perſecuti ſint, & ad perfectionem deduxerint Nanzelius, Scipio Claramontius, & Fortunius Licetus Vir diuinarum, humanarumque rerum ſcientiſſimus lib. ſingulari, cui titulus: *De mundi & hominis analogia*. Habet utilia quoque Andreas Laurentius *l.* 1. *Hiſt. Anat.* atque alij.

CAP. VI.

Humani corporis figura qualis, & quomodo motu varietur.

CVm in tota hac doctrina de figura corporis humani frequentiſſima incidat mentio, ne qua vocabuli ambiguitate laboremus, antequam ulterius provehamur, quid ea ſit, & qualis, & quot modis varietur, exponendum eſſe duximus.

Formam & Figuram Philoſophus *l. Categor.* ad Qualitatem retulit, per Formam non intelligens internam, quippe quæ principium corporis naturalis, & mutationis expers: ſed externam. Quod ſi quæratur, quid Forma externa à Figura diſtet, reſpondetur verſiculo:

Formam viuentis, picti aie eſſe Figuram.

Adeoque hinc colligeretur, formam eſſe naturæ bonum, figuram artis opus. Cæterum hæc differentia neque communi vſu loquendi, neque in ipſis Logicorum diſceptationibus adeò obſeruatur accuratè, quin ſubinde inter ſeſe illa duo confundantur. Ita M. Tullius l. 1. De nat. deor. *Omnium animantium formam vincit hominum figura.* Et lib. 1. Offic. *Corporis, inquit, noſtri magnam natura ipſa videtur habuiſſe rationem, quum formam noſtram, reliquamque figuram, in qua eſſet ſpecies honeſta, eam poſuit in promtu.* Eadem ratione Iuno apud Ovidium l. 2. *Metamorph.* de Caliſto puella:

Adr

Adimam tibi namque figuram,
Quæ tibi, quaque places noſtro importuna marito.

Liceat itaque nobis etiam eſſe ita liberis, vt Figuram nominantes hominis ſeu viui, vel mortui: ſeu picti, vel ficti formam externam indigitare poſſimus.

Qualis ea ſit, controvertitur. Cum enim corpus humanum, vt ſuperius quoque diſputabatur, ex diverſiſſimis ſuperficiebus ſit concinnatum, illæ iterum ſuperficies ſuis varijs lineis conſtent: utique figura inde reſultans ſimplex eſſe nequit, ſed compoſita & ſimul anomala. Sane non eſt circularis, vt reſpectu umbilici voluere quidam, ex quo per extrema circulus deſcribitur: nec quadratam, ut alij habita ratione thoracis, qui in carnoſis ac robuſtis τετράγωνος apparet. Teretia enim potius, præter rotundum caput, pleraque ſunt membra corporis: teres collum, artus teretes, & ipſe fere truncus. Quod ſi nomen ipſi omnino tribuendum veniat, *humanam* nuncupemus: cum compoſita eo pacto ſit, ut creaturæ præter ſolum hominem nulli congruat.

Liceat hic obiter referre ridiculam hominis figuram, quam in Sympoſio Platonis per allegoriam propoſuit Ariſtophanes, aut jocum. *Tota*, inquit, *cujuſque hominis ſpecies erat rotunda, dorſum & latera circumhabens, manus quatuor, totidemque crura, vultus item duos tereti cervice connexos, & omnino conſimiles: caput utriſque vultibus contraverſis, vnum: aures quatuor, genitalia duo, & alia ſingula, vt ex his quiſque convenienter excogitare poteſt. Incedebat tunc & rectus, vt nunc, in utram partem vellet: & quoties celer us ire contenderet, inſtar eorum, qui prono capite crura ſurſum circumferentes circularem choream exercent, tunc octo membris innixus celeri circulo ferebatur.*

Variatur figura corporis humani multis quidem, at duobus præcipue modis. *Primo*, dum ipſa acquirit aliam atque aliam magnitudinem ... augmentationem vel decrementum, qua de re cap. ſequenti. *Secundo*, dum varios motus ipſa ſubit, quos σχηματισμὸς Græci vocant. Vnde σχηματίζειν præſtigiatores dicebant ac funambulos, qui varias corporis figurationes membrorum flexu & contorſione oſtentare ſolent. Immo noſmet ipſi non tantum cum obambulamus, aut exercemur, aut manducamus, alia ſuper alia ex

pri-

primimus corporis ſchemata: verum etiam cum quieſcimus ac dormimus, non ceſſante ſub ſomnum reſpiratione, quæ thoracem attollendo, deprimendoque figuram ejus indeſinenter variat. Diſcriminis ratio in eo verſatur, quod quieſcentium figurationes obſcuriores ſint, evidentiores eorum, qui exercentur. Admirabilis eſt ſchematiſmus fœtus humani in utero, quem inter reliqua animalia notavit Philoſophus *l. vij. Hiſt. Animal. c. viii,* maxime rotundam ſervare ſitus figuram, adeo ut in ſemet conglobatus naſum inter genua, oculos ſuper genua, aures extra genua habeat.

Cæterum inter mille ſchematiſmos hominis, ille magis naturalis eſſe videtur, quo homo moderate extenſus brachia ad femora dimittit, pedibus ita compoſitis, vt calcanei latam manum diſtent ab inuicem, digiti parum exterius vergant. Nec refert pedibus innixus, an jacens illum ſchematiſmum homo exhibeat. Cave enim arbitreris, hanc eſſe figuram decubitus ſanorum, quam in ægrotis obſeruandam, atque inde ſigna ſalutis, aut morbi difficilis colligere jubebat Hippocrates *l.b. Prænot.* Diſcrepant etenim inter ſe quam plurimum; cum flexione modica manuum, colli, atque crurum hæc conſtet, corpore in alteutrum latus deuoluto, ſicut decumbere ſanorum plurimi conſueverunt, & medici præcipiunt t. Ariſtotele *ſect. vij. Probl. iij.* illa verò extenſione partium, quo facilior ſit earundem dimenſio. Eſt potius, quam auctores *erectam* nominare ſoliti ſunt, & tanquam homini propriam multis laudibus proſequi. Vnus animalium homo, ajebat Philoſophus *l. ij De part, animal. c, 1.* διὰ τὸ μόνον ὀρθὸν εἶναι πρόσωθεν ὄπωπε, κ' τὴν φωνὴν εἰς τὸ πρόσωθεν διαπέμπει, quia ſolus erectus eſt, anteverſus proſpicit, & vocem anteverſus emittit. Erectionis iſtius cauſſam in calorem reijcit idem ibidem *c. vj.* & *l. ij. c. vij.* Notiſſimi ſunt verſus Naſonis lib 1. Metamorph. fab. 2.

Pronaque cum ſpectent animalia cætera terram,
Os homini ſublime dedit, cœlumque tueri
Iuſſit, & erectos ad ſidera tollere vultus.

Quos imitatus videtur Silius Italicus hoc modo:

Nonne vides, hominum vt celſos ad ſidera vultus
Extulerit Deus, ac ſublimia finxerit ora?
Cum pecudes, volucrumque genus, formaſque ferarum
Segnem atque obſcænam paſſim ſtraviſſet in alvum.

Cice-

Cicero l. 1. de Leg. *Figuram corporis habilem*, inquit, *& aptam ingenio humano dedit. nam cum cæteras animantes abiecisset ad paſtum, ſolum hominem erexit, ad cælique quaſi cognationis, domiciliique priſtini conſpectum excitavit: tum ſpeciem ita formavit oris, ut in ea penitus reconditos mores effingeret.*

Naturali ſchematiſmo cognatæ ſunt duæ aliæ figuræ notabiles, quas *expanſæ & decuſſatæ* nomine inſignire liceat. Illa eſt, quam a Servatore noſtro in cruce nobilitatam homo paſſis brachijs refert. Hæc, quam exhibet homo artubus decuſſatim divaricatis, ſoletque Andreana vocari, quod hic Apoſtolus in crucem actus ſit, cujus bina extrema ſurſum, bina deorſum vergebant. Conferatur Lipſius *l. De Cruce*, Gretſerus, Boſius, Nicolaus Fontanus in Reſponſo ad propoſitam ſibi quæſtionem, *An manus clavis transfixæ pares ferendo corpus inde pendulum?* Quæ quæſtio nuper agitabatur inter ſummos viros, Salmaſium, Calixtum, Niehuſium, Dilherrum, Chifletium, Th. Bartholinum.

CAP. VII.

Figura corporis humani ut variet ex ætate & morbo.

PRroteum in figuras quaſvis mutabilem fabulantur Virgilius *l. jv. Georg.* & Ouidius *l. vij. Metamorph.* ita hominem tanquam verum Protea ex varia membrorum motione varios σχηματισμοὺς exhibere dictum eſt in præcedentibus: in præſenti quomodo mutet figura ex ætate vel morbo aliam acquirendo magnitudinem, & ut variet ipſa magnitudo in adultis, enarrandum.

Ad ætatem quod attinet, mutat figura corporis humani evidenter, dum creſcimus: nec ſolum variatur longitudo, verum etiam ipſa oris lineamenta & corporis habitus. Hinc non raro accidit, ut quem puerum bene noveris, poſt viginti annos juvenem ægre agnoſcas. In trimatu ſuo cuique dimidiam eſſe menſuram ſtaturæ certum eſt, teſtimonio Plinij *l. vij. Hiſt. Nat. c. xvi.* unde quantus homo

futurus

futurus ſit anno ætatis vigeſimo primo, prænoſſe tum licebit: poſtea enim ad plenitudinem creſcimus. In conſiſtenti ætate non contingit notabilis figuræ mutatio, vſque ad ſenectutem, qua plenitudo occipit imminui. In decrepita ſicceſcentibus ligamentis articulorum, & præcipue ijs quæ ſunt circa vertebras dorſi, contrahi ſtatura videtur atque incurvari ſilicernium, quaſi de ſepulchro jam ſolicitum. Nec tamen oſſa ipſa breviora fieri credendum, cum partes ex ſe ſiccæ illæ ſint & ſolidę. Quod ſi longurio fuerit homo ſeneſcens, illa curvatura evidentior evadit, & proinde turpior: quin ob deficientes ſpiritus ægrius molem corporis proni ſuſtinebit, quam ſi pumilus ſit. Quamobrem in juventute procera corporis ſtatura frui, liberale eſſe ajebat Hippocrates *4. aph. 41.* nec indecorum: in ſenio vero incommodum & brevitate deterius.

Vtrum autem labentibus ſeculis labantur etiam vires humanæ, & corpora indies minora proveniant, quæſtio eſt maximi momenti. *Mortalium genus minus indies fieri obſervatur, rarosque patribus proceriores, conſumente ubertatem ſeminum exuſtione, in cujus vices nunc vergit ævum.* Sunt verba Plinij l. c. At falſum id eſſe, experientia convincit, qua videmus ex parentibus mediocris ſtaturæ naſci frequenter filios proceros. Vladislaus rex Poloniæ ob ſtaturæ breuitatem Cubitalis dictus, procreauit tamen filium Caſimirum, cui corporis proceritas Magni nomē adiecit. Samogithas refert Scaliger *Exerc.* 263. cū proceræ ſtaturæ maxima ex parte ſint, tamen quaſi per vices tum proceros, tum pene nanos generare: haut abſimili ingenio quarundam arborum tertio quoque anno fructus ferentium grandiores. Quod ſi paulo diſtinctius formetur ſtatus controverſiæ: num ſcilicet in ſpecie humana majori ex parte indies breviora corpora producantur? jam res longe eſt intricatior. Præter enim Plinij citatam auctoritatem, adeſt locus Homeri *l. 5. Iliad.* ubi Tydides in pugna Aeneam ſaxo petit tanti ponderis, cui ferendo non eſſent duo viri, quales iam naſcuntur homines.

—Ὁ δὲ χερμάδιον λάβε χειρὶ
Τυδείδης μέγα ἔργον, ὃ οὐ δύο γ' ἄνδρε φέροιεν,
Οἷοι νῦν βροτοί εἰσι. ὁ δέ μιν ῥέα πάλλε καὶ οἶος,
Τῷ βάλεν Αἰνείαο κατ' ἰσχίον, ἔνθα τε μηρὸς
Ἰσχίῳ ἐνστρέφεται· κοτύλην δέ τέ μιν καλέουσι.

Idem fere fingit de Hectore tantum lapidem portante, quantum duo viri fortiſſimi, quales nunc ſunt homines, non facile ſuper plauſtrum

ſtrum à terra ſubmoverent: & de Ajace Telamonio, qui Epiclem marmore aſpero ingenti percutit *l. xij. Iliad.* Atque imitatus ipſum videtur Virgilius *lib. Æn. xij.* ubi Turnus cum Aenea manum conſerturus,

— Saxum circumſpicit ingens,
Saxum antiquum, ingens, campo qui forte jacebat
Limes agro poſitus, litem ut diſcerneret arvis.
Vix illud lecti bis ſex cervice ſubirent,
Qualia nunc hominum producit corpora tellus.
Ille manu raptum trepida torquebat in hoſtem
Altior inſurgens, & curſu concitus heros.

Quorſum reſpexit Iuuenalis Satyra quintadecima:

Saxa inclinatis per humum quæſita lacertis
Incipiunt torquere domeſtica ſeditione
Tela, vel hunc lapidem, quali ſe Turnus & Ajax,
Et quo Tydides percuſſit pondere coxam
Aeneæ, ſed quem valeant emittere dextræ
Illis diſſimiles, & noſtro tempore natæ.
Nam genus hoc vivo jam decreſcebat Homero.
Terra malos homines nunc educat atque puſillos.
Ergo deus quicunque aſpexit, ridet & odit.

Lucretius id ad univerſa animantia extendit *lib. ij.*

Iamque adeo effœta eſt ætas, effœtaque tellus,
Vix animalia parva creat, quæ cuncta creavit
Secla, deditque ferarum ingentia corpora partu.

Videtur idem innuiſſe P. Maro *lib. j. Georg.* his verſibus:

Scilicet & tempus veniet, cum finibus illis
Agricola, incurvò terram molitus aratro,
Exeſa inveniet ſcabra rubigine pila:
Aut gravibus raſtris galeas pulſabit inanes,
Grandiaque effoſſis mirabitur oſſa ſepulchris.

Inſpice ſis D. quoque Auguſtinum *l. xv. de Civ. Dei c. ix.* cum Notis Coquæi, & Ludovici Vivis: itemque Simonem Majolum in Canicularibus.

Verum enimverò auctoritates hæ ſunt partim poeticæ, partim ejuſmodi nixæ rationibus, quæ aſſenſum noſtrum non ſatis cogunt. Vanam enim eſſe opinionem hanc, abunde convincunt antiquiſſima re-

gum in Palæſtina, vatumque ſepulchra: tum in Aegypto pyramidum viæ, ac portæ: corpora item ipſa defunctorum, à mille aliquot annis medicamentis aſſervata, quæ mumias cum Arabibus hodie nuncupamus, communem Europæ incolis ſtaturam haut ſuperantia. Cujus rei oculatus teſtis adeſt Ioa. Veſlingius *Syntagm. Anatom. c. iij.* Querelæ Homeri reſpondetur concedendo, Græcos ante Homeri tempora fuiſſe paullo majores, ſed colonijs in Græciam ductis cum alijs commixtos, & ſic minores ſibi ipſis poſtea viſos fuiſſe. Quam opinionem illuſtrat obſervatio Adr. Spigelij, qui meminiſſe ſe teſtatur, in Batavio longiores multo fuiſſe homines, ac procerioris ſtaturæ, quam nunc ſunt, quod ob continua hæc bella, quæ Batavi gerunt, plurimæ quaſi coloniæ ductæ, maximeque gens illa cum exteris commixta fuerit, *l. 1. de Hum. Corp. Fabr. c. vij.* Legi etiam poteſt diſſertatio *de Habitu Germanorum* Hermanni Conringij. Quod ſi detur tandem hoc contrarium ſentientibus, unicum certè ſequetur abſurdum inevitabile: Corpora noſtra, niſi opportune pereat mundus, poſt aliquot ſecula formicis futura æqualia. Atque hæc de ætate.

Ex *morbo* mutari formam hominis externam frequentiſſimum eſt. Leucophlegmaticis æqualiter turgeſcit ſuffuſa pituita totum corpus: Elephantiaſi laborantibus cruſtoſa fit cum tumore univerſa cutis: nonnullos Quartana febris in gigantæam molem erexit, obſervatione Spigelij l. c. Invenit Plinius in monumentis, Salamine Euthymenis filium tria cubita triennio adoleviſſe, inceſſu tardum, ſenſu hebetem: & jam puberem factum voce robuſta abſumtum contractione membrorum ſubita triennio circumacto. Ipſe Plinius vidit eadem ferme omnia, præter pubertatem, in filio Cornelij Taciti Equitis Romani Belgicæ Galliæ rationes procurantis: additque Ectrapelos Græce vocari, in Latino non habere nomen, *l. vij. c. xvi.* Meminit Spigelius l. c. cujuſdam Antonij Antverpienſis, qui cum puſillus admodumque debilis in lucem prodijſſet, illico puer ex morbo in maximum gigantem evaſit. Latet autem in iſtiuſmodi corporibus vitium, quod prodigioſum augmentum cum immatura morte accerſit.

Quod ſi ad particulares morbos deſcendere velimus, innumeris modis variatur humani corporis figura. Hydrocephalus totum caput deturpat: Tympanites inflat abdomen: mammas Cancer deformat: diſtorquent artus Luxatio & Fractura, ex quarum prava repo-

ſitione

ſtione membra ſubtracto alimento imminui etiam cernimus. Vnde Chirurgi multum intereſt, medias figuras addiſcere, quibus ignoratis, ut ſuperius quoque demonſtratum fuit, luxata in caſſum dirigere annitetur.

CAP. VIII.

Magnitudo corporis humani quos habeat terminos.

ENarratis itaque illis modis, quibus forma hominis externa variatur, ſive motu locali id accidat, ſive augmentatione ex ætate aut morbo: proximum erit de magnitudine corporis ſimpliciter ſpectata aliquid adijcere, qua is eſt adultorum, ac conſiſtentium, quæ nec augumento amplius variet admodum, nec morbo portentose grandeſcat.

Ea habet terminos latiſſimos, ſi conſenſum præbere velimus monumentis illorum, qui gigantum & pygmæorum hiſtorias prodiderunt. Cœlum oppugnant gigantes apud Naſonem *lib. Metamorph.* 1. & Iovis fulmine tacti pereunt. Horum nomina aliquot exprimit Virgilius *l.* 1. *Georg.*

— Tum partu terra nefando
Cœumque, Iapetumque creat, ſævumque Typhæa
Et conjuratos cœlum reſcindere fratres,
Ter ſunt conati imponere Pelio Oſſam,
Scilicet atque Oſſæ frondoſum involvere Olympum:
Ter pater extructos diſiecit fulmine montes.

Vlyſſes apud inferos Tityum Terræ filium videt *Odyſſ.* xj. qui in pavimentum proſtratus nouem terræ jugera longitudine æquabat. Atlantem mundi bajulum Ovidius *l.* xiv. *Metamorph.* cunctis hominum ingenti corpore præſtitiſse perhibet. Libro autem xij. deſcribit

— Summis extantem Riphea ſilvis,
Thereaque, Hæmonijs qui prenſos montibus urſos
Ferre domum vivos, indignanteſque ſolebat.

 Cyclo-

Cyclopes Maronis *l. Aen. iij.* gigantum manipulus erat, quorum caput Polyphemus.

Monſtrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademtum,
Trunca manum pinus regit, & veſtigia firmat.

pertinet huc maritus Praxinoæ, qui à Theocrito in Syracuſanis ἀνὴρ τρὶς καὶ δεκάπηχυς. vir tredecim cubitorum nominatur.

Gigantum mentionem injicit ipſa Scriptura Sacra *Geneſ. c. vj.* quem locum licet aliter interpretentur Philo Judæus *l. de Gigantibus*, & Cyrillus *l. ix. adverſus Julianum*: Auguſtinus tamen *lib. Quæſtionum in Geneſin quæſt. iij. & l. xv. de Civit. Dei c. xxiij.* Ambroſius *De arca Noe c. iv.* Theodoretus *in Geneſin quæſt. xlviij.* atque alij plerique retenta ſignificatione vocis communi de hominibus vaſtiſſimæ ſtaturæ exponunt. Sex cubitos *Goliath* ſuperaſſe dicitur *l. j.* Samuel. c. xvij. quo minor non fuit frater ejus *Lahemi l. j.* Chronic. c. xxj. *Jeſbbenobus* gigas Palæſtinus Davidem regem pugnando defeſſum interemiſſet, niſi *Abiſaus* regi ſuccurrens gigantem, cujus haſtæ ferrum trecentos æris ſiclos pendebat, interfeciſſet, ij. Reg. xxj. Fit ibidem mentio *Saphi*, & 1. Paralip. xx. *Gethæi* gigantum, quorum hic cubitos ſenos proceritate attingebat. Benaja l. ij. Samuel. c. xxiij. occidebat *virum illum ingentem ex Aegypto*, in cujus manu erat haſta vectis inſtar textorij. Lib. j. Chronic. c. xxj. Sebechai trucidat *Sibai*, qui erat ex filijs gigantum: & Ionatham occidit *virum vaſtiſſimæ molis*, in cujus manibus pedibusque ſeni erant digiti.

Pallantem Turnus interficit apud Virgilium *l. Aen. x.* cujus cadaver Romæ Anno octingenteſimo ſalutis noſtræ inventum fuiſſe, inciſo nomine Pallantis Evandri filij, quod erectum in pedes barba æquaret mœnia Romanorum, auctor eſt Alphonſus Toſtatus Hiſpanus Epiſcopus Abulenſis *in cap. v. Geneſ. quæſt. xij.* Referunt eandem hiſtoriam Fulgoſus *l. j. c. vj.* & Crancius *l. iv. c. xv.* addendo, in pectore cadaveris vulnus fuiſſe pedum quatuor & dimidij, ad caput vero ſtetiſſe lucernam ardentem quæ nec flatu, nec humore extingui potuerit, quoad perforato vaſe aer admitteretur. Comes Natalis *l. jv. Mythologi. c. xxj.* auctor eſt, in Theſſalia inventum eſſe os humani cruris tam vaſtum, ut triginta paria boum validorum illud plauſtro impoſitum vix potuerint loco movere. Quin & Auguſtinus *l. xv. de Civ. Dei c. xix.* *Vidi*, inquit, *ipſe non ſolus, ſed aliqui mecum in Uticenſi littore molarem dentem hominis*

tam

tam ingentem, ut ſi in noſtrorum dentium modulos minutatim concideretur, centum nobis videretur facere potuiße. Apollonius Grammaticus ſcribit, prope Athenas inſulam eſſe quandam, quam Athenienſes cum vellent muris munire, dum foderent fundamenta, invenerint ſepulchrum C. cubitorum, & intus cadaver ad oſſa uſque abſumtum, cum hac epigraphe:

Sepultus ego Macroſeiris in longa inſula,
Vitæ p ractis annis mille quinquies.

Plinius *l. vij. c. xvi. edit. Venetæ Pauli Manutij* 1559. *In Creta, ait, terramotu rupto monte, inventum eſt corpus ſtans xlv. cubitorum, quod alij Orionis, alij Oti fuiſſe arbitrantur. Oreſtis corpus oraculi juſſu refoſſum, ſeptem cubitorum fuiſſe commentis creditur.* Plutarchus *in vita Sertorij*, & Strabo *l. xvij. Geograph.* referunt, Q. Sertorium, cum oppidum Mauritaniæ Tingi cæpiſſet, vbi Anthæum gigantem ſepultum tradiderunt Afri, noluiſſe barbaris fidem habere ob magnitudinem: ipſum tamen oſtendiſſe corpus lx. cubitos longum. Pauſanias *in Atticis* de Ajace Telamonio narrat, in Salamine inſula eius cadaver refoſſum, inventaque oſſa tantæ magnitudinis, ut molæ genuum diſci inſtar eſſent. Idem *in Arcadicis* de alio cadavere ſcribit xj. cubitorum, quod Orontis eſſe credebatur. At vero fidem omnium ſuperat, quod Ioa. Boccatius *in Geneolog. Deor.* prodidit, ſuis temporibus in Sicilia haut longe à Drepano urbe inventum gigantis corpus, quod attrectatum in pulverem abierit. Exiſtimatum autem eſt, conjectura ex oſſe coxæ, quod integrum remanſerat, fuiſſe CC. cubitorum. Atque hæc de gigantibus poeticis, biblicis, hiſtoricis.

Πυγμὴν Græci vocant ſpatium, quod eſt à cubito uſque ad digitos inflexos, vnde pygmæi nomen traxere, quod hanc menſuram ſtatura non excedant. Eorum duplex genus deſcriptum invenio, quorum alij Africam incolant, Aſiam alij. De Africanis ita narrat Ariſtoteles *l. viij. Hiſt. animal. c. xij. Grues ex Scythiis campis ad paludes Aegypto ſuperiores, unde Nilus profluit, veniunt, quo in loco pugnare cum pygmæis dicuntur. Non enim id fabula eſt, ſed certe eſt genus tum hominum, tum etiam equorum puſillum, ut dicitur, deguntque in cavernis, unde nomen Troglodytæ à ſubeundis cavernis traxere.* De iiſdem intelligendus Plinius *l. vi. c. xxx.* vbi: *Quidam,* inquit, *& Pygmæorum gentem prodiderunt ante paludes, ex quibus Nilus oritur.*

Aſia-

Aſiaticos idem Plinius depingit *l. vij. c. ij.* his verbis: *Ad extremos fines Indiæ ab oriente circa fontem Gangis Aſtomorum gens habitat. Supra hos extrema in parte montium Spithamæi Pygmæi, narrantur, ternas ſpithamas longitudine, hoc eſt, ternos dodrantes non excedentes, ſalubri cælo, ſemperque vernante montibus ab aquilone oppoſitis: quos à gruibus infeſtari Homerus quoque prodidit. Fama eſt, inſidentes arietum caprarumque dorſis, armatos ſagittis veris tempore univerſo agmine ad mare deſcendere, & ova pulloſque earum alitum conſumere: ternis expeditionem eam menſibus confici, aliter futuris gregibus non reſiſti. Caſas eorum luto, penniſque, & ovorum putaminibus conſtrui.* Homeri iſte locus extat *Iliad. iij. v. iij.* ubi Troianos cum Achivis manus conſerturos incedere memorat clamantes & ſonitum excitantes ſimilem illi, qui oritur dimicantibus inter ſe pygmæis & gruibus:

Ἠΰτε περ κλαγγὴ γεράνων πέλει οὐρανόθι πρὸ,
Αἵ τ' ἐπεὶ οὖν χειμῶνα φύγον καὶ ἀθέσφατον ὄμβρον,
Κλαγγῇ ταί γε πέτονται ἐπ' ὠκεανοῖο ῥοάων,
Ἀνδράσι πυγμαίοισι φόνον καὶ κῆρα φέρουσαι,
Ἠέριαι δ' ἄρα ταί γε κακὴν ἔριδα προφέρονται.

De his videtur loqui iterum *lib. x. cap. xxiij.* cum immenſo tractu grues à mari eoo venire aſſerat cum pygmæis dimicaturas, quarum abſceſſu pygmæa gens inducias habeat. Alluit autem mare eoum extremas Chinarum oras, Indiaſque in duas partes Ganges dividit. Vnde manifeſtum evadit, Ariſtotelis pygmæos Africæ eſſe incolas, Aſię vero illos, quos Plinius Spithamæos appellabat *l. vij. c. ij.* Idem *l. iv. c. xj.* Thracię oppidum Geraniam eſſe prodidit, à pygmæorum gente habitatum olim, quos Catizos barbari vocant, ex quo à gruibus fugati creduntur. Eo reſpexit Iuvenalis Satyra decima tertia:

Ad ſubitas Thracum volucres, urbemque ſonoram
Pygmæus parvis currit bellator in armis.

Iam quid hac de re cenſendum? Diximus paullo ante, magnitudinem corporis humani latiſſime patere, nec uſque adeo ad anguſtias unius menſuræ eſſe a natura redactam, ut qui ab ipſa recedant excedendo vel deficiendo, in monſtrorum claſſem protinus ſint referendi. Quantum vero pateat illa latitudo, & quis ſit terminus menſuræ minimæ, perquam difficillimum eſt determinare. Fuiſſe olim frequentiores homines vaſtę magnitudinis

ſicut

ſicut negari nequit: ita fuiſſe tales, quales Poetę nobis obtrudunt, credere non cogimur. Fabulam ſapit etiam illud Orionis corpus apud Plinium, niſi ex xlvj. cubitis forte priores duo numeri demendi ſint, ut ab illo Oreſtis uno tantum cubito diſtet: ſiquidem alij jamdum omiſso l. legunt xvj. cubitis. Pallantis corpus quantum fuerit, divinare non licet, cum de altitudine murorum, quibus eo tempore Roma cingebatur, non exacte conſtet. Et quamvis conſtaret, inſcriptio tamen, quam afferunt, à multis pro ſuppoſititia habetur. Idem judicium de gigantibus aut tyrannis Biblicis eſto, cum Geneſ. *c. vj.* potentes ſaltem nominentur, nullius menſuræ mentione facta. De Goliathe tamen & alijs heroibus quæ dicuntur in libb. Samuel. Regum, atque Chronicorum, credere oportet. Nec excedit fidem proceritas hominis novem pedum & totidem unciarum, quem divo Claudio principe ex Arabia advectum Roma vidit: nec duo illa corpora, quæ iſtius ſtaturam ſemipede ſuperabant, & in conditorio Saluſtianorum hortorum eius miraculi gratia aſservabantur, ut refert Plinius *l. vij. c. xvj.*

Similia exempla omnibus extitere ſeculis, antiquitus tamen crebriora: adeo ut certę familiæ meros fere gigantes ſeu vaſti corporis homines producerent. Atque hoc nominis ſignificatu plerique veterum heroes, gigantes fuiſse videntur. Inde contigit, vt reperto in Creta illo corpore immani, mox Orionis id eſse, aut Oti, forſan illius Cyllenij ducis Epejorum, quem apud Homerum *Iliad. xv.* Polydamas interficit, ſuſpicati ſint. Num vero integra aliqua regio habitata fuerit, vel hodieque habitetur à ſolis gigantibus, vix veroſimile eſt, niſi Patagones intelligere velimus, qui teſte Cardano *l. viij. De variet. rer. c. xliij.* juxta fauces freti Magellanici degunt, octo palmis longiores, crudis veſcuntur carnibus, pane carent, tantum aquæ vno hauſtu bibunt, vt duodecim hominibus ſatis eſſe poſſit, ſagittas adeo profunde in gulam demittunt, ut in ventriculum uſque ire exiſtimentur, quod ipſi pro egregio ſpectaculo habent.

Aeque certę ſunt illæ de pygmæorum gemino regno Ariſtotelis, Plinijque narrationes, quas in dubium vocari hodie a plerisque video. Etiamſi enim nautarum induſtriæ multa adhuc verſus utrumque polum perluſtranda reſtent; illa tamen loca, quæ à pygmæis incoli

coli ſcribuntur, tam circa Gangem, quam Nilum, ſatis ſunt perveſtigata, nec quicquam tamen de illa gente aut pugna cum gruibus inauditum. Strabo *lib.* 1. *Geograph.* fabuloſos eſſe ſtatuit, nec tamen id vitio dandum Homero, aut Heſiodo, quod ipſorum mentionem fecerint. Ἡσιόδου τε οὐκ ἄν τις ἀντιάσαιτο ἄγνοιαν ἡμικύνας λέγοντος, καὶ μακροκεφάλους, καὶ πυγμαίους. οὐδὲ γὰρ αὐτοῦ Ὁμήρου ταῦτα μυθεύοντος, ὧν εἰσὶ καὶ οὗτοι οἱ πυγμαῖοι. Franciſcus Aluarez Luſitanus, qui ea loca, per quæ Nilus in Aegyptum fluit, peragravit, Aethiopes ibi habitare mediocris ſtaturæ prodidit, tam minutam gentem a ſe nullibi conſpectam. Conſpicimus autem frequenter in aulis principum nanos quoſdam atque homunciones, qui ſi non ſunt pygmæi, ipſis profecto non ſunt multum abſimiles. Divo Auguſto præſide minimus homo, duos pedes, & palmum altus Conopas nomine, in delicijs Iuliæ neptis eius fuit: & mulier Andromeda liberta Iuliæ Auguſtæ. Manium Maximum & M. Tullium equites Romanos, binum cubitorum fuiſſe auctor eſt M. Varro, & ipſi vidimus in loculis aſſeruatos, ſcribit Plinius *l. vij. c. xvi.* Puſilli admodum homunciones fuere Quinctus frater Ciceronis, & gener Lentulus, in quos eo nomine cavillatus eſt, auctore Macrobio *l. ij. Saturnal. c. iij.* Venerat enim in provinciam Cicero, cui frater præfuerat. ibi imaginem eius clypeatam ampliſſima forma, ad pectus uſque depictam cernens: Frater, inquit, meus dimidius major eſt, quam totus. Generum ingenti gladio accinctum videns: Quis, inquit, generum meum gladio alligavit? Atqui pumilionum minimus omnium fuiſſet Fauſtulus, niſi veritatis limites excederet Auſonij de ipſo epigramma.

Fauſtulus inſidens formicæ, ut magno elephanto
Decidit, & terræ terga ſupina dedit.
Moxq; idem ad mortem eſt multatus calcibus eius,
Perditus ut poſſit vix retinere animam.
Vix tamen eſt ſatus: Quid rides, improbe livor,
Quod cecidi? cecidit non aliter Phaeton.

Quod ſi ex allatis hiſtorijs omnino ſtatuendi forent magnitudinis humanæ extremi termini, menſura minimi hominis eſſet cubitus unus, qualis pumiliorum: maximi ſeptem, qualis Oreſtis aut Goliathis ferme: fabuloſi quadraginta ſex, qualis Orionis, & plurium.

Verum relictis quæ antiquior ætas aut vidit, aut credidit, deſcendamus tandem ad conſiderationem eius varietatis, quam in humano-

manorum corporum magnitudine ac parvitate noſtro ævo oculis uſurpare ſine errore licitum eſt. Docebat Hippocrates *l. de aer. aq. & loc.* quantum homines inter ſeſe differant ex diverſitate regionum, non ſolũ quod ad mores, ſed quod ad ipſam corporis habitudinem. Exempli autem loco aſsumebat Aſianos atq; Europœos, ampliſſimo ſermone oſtendens, in Aſia omnia majora naſci, homines eſse hab tiores ac ſpecie pulcherrimos, magnitudinis eximiæ, minimeque differentes, quantum ad formam ac corporum proceritatem attinet. Nos conferendo Europœos non cum Aſiaticis, aut Afris, aut Americanis, ſed cum ſeipſis, reperiemus Septentrionales utplurimum magnos eſſe & pulchros, capillis non adeo criſpis & ad flavedinem ruboremve accedentibus: contra Meridionales eſſe ſtature breviori, criſpo capillitio atque nigricante: intermedijs mediocria omnia. Communis tamen Europœorum ſtatura ſex pedibus geometricis in longitudinem definitur, quam qui excedunt, longi: qui non attingunt, breves dicuntur. Servavit communem hanc ſtaturæ longitudinem perfectiſſimum noſtri Servatoris corpus, conſentiente menſura, quæ Romæ adhuc in æde S. Ioannis Lateranenſis oſtenditur.

CAP. IX.

Quid corpus proportionatum ſit, & quomodo menſurandum.

PRæmiſſis igitur, quæ de magnitudine corporis humani in genere, quos ea terminos habeat, nec non Europœorum in ſpecie, dicenda erant: reſtat indicandum, quid propriè corpus ſymmetrum ſeu bene proportionatum, & qua ratione ſit dimetiendum.

Corpus proportionatum illud voco, non quod mediam ſervat menſuram inter extremos ſummæ & minimæ magnitudinis terminos: qualem inter Europœos ſex pedum geometricorum eſſe diximus ſed cujus membra debitam inter ſe habent ſymmetriæ rationem, ſive

corpus ingens ſit, ſive exiguum. Ecquis Herculis membra, quibus tot patravit egregia facinora, ſuo caruiſſe commenſu diceret, aut manca fuiſſe, etiamſi ipſum corporis mole ſtaturam Europœorum ordinariam longe ſuperaſſe conſtat? De Gange rege Aethiopum ab Alexandro occiſo teſtatur Suidas, quod ſtatura denos cubitos attigerit: cæterum ea formæ præſtantia qualis nemo unquam mortalium fuerit. Quis negaret; dari pumilionum corpuſcula ſola brevitate peccantia, ita vt nihilo minus membra eorum mutuam obtineant proportionē? Quis exiguam ſtatuam, aut unius Spithamæ effigiem convenientis ſymmetriæ rationem obtinere poſſe iret inficias? Concludendum itaq; Symmetriæ vocabulum haut denotare præfinitam corporis quantitatem: ſed convenientiam partium mutuam, qua vel gigantis ac pygmæi, ſi inveniuntur, corpora inſtructa eſſe poſſunt. In hunc ſenſum ſcribit Io. B. Porta *l. iv. Phyſiogn. human. cap. ix. Corpus quod nec denſum evidenter ſit, nec laxum, neq; durum, neq; molle, nec piloſum, nec glabrum, quantæcunq; magnitudinis extiterit, temperatiſſimum erit. Quod ſi inſtrumentariæ eius partes commenſum quendam inter ſe ſortiantur, erit profectò viſu pulcherrimum, & abſolutiſſimæ conſtitutionis*. Quanquam ego illud pulcherrimum eſſe haut facile aſſererem, niſi debitam ſimul magnitudinem obtineat, abſque qua ſymmetriam quidem, veram autem pulchritudinem conſiſtere non poſſe Philoſophus teſtatur *l. de Poëtica c. vij.* his verbis: *Pulchrum in magnitudine & ordine conſiſtit: unde neque omnino parvum animal eſſe poteſt pulchrum. confunditur enim ſpectatio, quæ prope inſenſibili tempore fit: neque omnino magnum. non enim ſimul ſpectatio fit, ſed perit ſpectantibus unum & totum ex ſpectatione: vt ſi decem millium ſtadiorum ſit animal*. Liquet inde, hallucinatum fuiſſe Argenterium, dum *Comm. ij. in Art. Medic.* corpora arbitratur quanto majora fuerint, tanto pulchriora eſſe, modò proportio debita & color laudabilis non abſint.

Corpus igitur humanum cuiuſcunque magnitudinis, an mutuam habeat membrorum ſymmetriam, exploraturo, neceſſaria ad hanc rem præcepta in promptu habere convenit, atque inſtrumenta. Præcepta alia ſpectant ad totum corpus, ad ſingulas partes alia. Illa ſunto præſentis conſiderationis, hæc per ſeqq. capita diſtribuentur.

GENERALIA PRAECEPTA hæc ſunt.

I. Ante omnia proceritas corporis exacte exploranda, à vertice ad calces.

II. Proceritati reſpondere debent tria. 1. Spatium ab apice vnius medij digiti ad apicem alterius, brachijs expanſis. 2. Spatium quod intercipitur inter apices majorum digitorum in utroque pede, ſi divaricentur hi, quam fieri poteſt ampliſſime. 3. Longitudo utriuſque pedis à pube ad calces menſurando.

III. Pubes medium eſto proceritatis, ſurſum & deorſum.

IV. Dimidiam proceritatem craſſities æquet trunci ſive per thoracem, ſive per abdomen cibis debite diſtentum menſures.

Ad exſequendum has dimenſiones ſufficit uti ſilo, aut zona, ut volebat Hieron. Montuus *part. v. Medic. Pr. H. c. c. viij.* aut chorda non nimis laxa, ſed quæ ob ſtrictiorem texturam minus tendatur. Sin exquiſitiorem paullo cognitionem deſideras, & quæ non corporis univerſi duntaxat, ſed partium ſingularum quoque ſymmetriam patefaciat: circinum etiam, & inſtrumentum, quod ab uſu Anthropometron nuncupabimus, ad manum habere expedit. Eo enim confecto, ſuperſedere poteris labore non mediocri, qui ſubeundus erat in addiſcendis menſurarum varietatibus, quid palmus vulgaris, & architectonicus? quid cubitus vulgaris, regius, geometricus? De quibus conſule Vitruvium, atque ejus commentatorem Hermolaum Barbarum, Budæum, Nicephorum, Vegetium, alios.

Anthropometron tribus conſtat partibus: ligno recto, ligno tranſverſo, atque baſi. Quare conficias pro magnitudine hominis menſurandi lignum rectum, oblongum, quadrangulum, cujus ſingula latera pollicem plus minus æquent. In ſuperiori parte tranverſim & ad angulum rectum affigas lignum ſimile, cujus tamen longitudo multo minor ſit, & ſextam circiter partem alterius compleat: inferiorem partem inſeras aſſeri tanquam baſi æqualiter dolato, ita ut in facto foramine perpendiculariter erigi, circumagi, & pro arbitrio extrahi queat, ligno tranſverſo verticem hominis exacte tangenti.

Lignum rectum circino diſpeſcatur in ſex partes æquales, quas *pedes* vocabimus, etſi nihil referat, ſi geometricis majores, minores, vel æquales fuerint. Singuli horum pedum ſubdividantur in duo-

impera: applicatoque ligno recto ad apices medij utrinque digiti, utrum conveniat cum proceritate menſura iſta, cognoſces. Spatium inter pedum pollices ſi expiſcari animus eſt, ut ſupinus decumbat, jube: pedes autem non ſolum diuaricet quam fieri poteſt largiſſime, ſed & digitos extrorſum moueat & longiſſime extendat. Cætera ex ſuperioribus patent, & inferius magis inclareſcent.

CAP. X.

Symmetria capitis.

MInervam ex cerebro Iovis natam fingunt Poetæ, unde ſapientiæ deam nominant, caput ipſum arcem Palladis, & numinis ſedem divinioris. Eminentiſſima ſane corporis noſtri pars eſt, & religioſæ majeſtatis particeps, adeo ut regum diadematibus geſtandis fuerit ab antiquiſſimis temporibus deſtinata. Reſidet in ipſo tanquam aula Imperatrix Anima, & nutu ſuo, quid agendum vel fugiendum ſit, ſingulis imperat membris. Continet tot nobiliſſimorum ſenſuum inſtrumenta, eo ordinis artificio diſpoſita, ut in anguſta loci capacitate alterum alterius actionibus neutiquam ſit impedimento. Age igitur à capite, tanquam digniori & magis veneranda corporis noſtri parte, reliquarum dimenſiones exordiamur.

Caput nomino, quicquid atlante ſeu prima colli vertebra ſuſtinetur: ubi poſterius cervices ſunt, larynx anterius. Aut imaginare tibi trigonum, cujus baſis à cervice ad mentum tendat, latera æqualiter in ſyncipite coeant: & habebis adumbratos capitis terminos. Ceterum de commenſu ejus admodum diſcrepare videntur auctores. Adrianus Spigelius *l. 3. Hom. Corp. Fabr. c. viij. Caput*, ait, *cum magnitudinem legitimam obſervat, ſextam totius corporis partem longitudine ſui, quæ ab extremo mento ad ſummum uſque verticem eſt, conficit.* Vero conſonat hæc menſura, ſi cingulo aut filo inſtituatur, ob globoſitatem oſſis frontalis: ad anthropometron autem ſi indageris iſtud ſpatium decem tantum particulas æquabit mentum à vertice, aut duodecim ſeu ſextam corporis totius partem.

Cum

Cum enim caput una cum collo, conſentiente ipſo Durero, ſextam totius partem conſtituat, ut cap. ſuperiore quoque dictum eſt, collo anteriori duæ minimum unciæ ex duodecim illis veniunt tribuendæ, relictis decem dũtaxat pro capitis altitudine: quemadmodum & Dureri opus evolventi, & experientiam ipſam conſulenti ultro pateſcet.

Sunto itaque ratæ hæ ad anthropometron examinatæ capitis dimenſiones. Latitudo capitis ſeu diameter eſt unciarum octo: ad tempora tamen multo ſtrictior. Longitudo à vertice ad mentum, decem. Filum ſi circumduxeris ſive per verticem & laryngem, ſive per frontem & occiput, æquabit illud duas ſextas totius corporis, hoc eſt, uncias xxjv. & quadrabit eadem menſura à larynge per frontem ad cervices deducta.

Ita ſe res habet in capite ſymmetro, quod teſtimonio Galeni *l. jx. De uſu part. c. xvij. & cap. xj. Art. Medic.* ad oblongæ ſphæræ ſimilitudinem ſtructum eſt, & utrinque juxta tempora paullatim comprimitur, prominente parte tam anteriore quam poſteriore. Recedunt ab hac proportione, figuræ depravatæ capita, quorum quinque recenſentur ſpecies. I. in qua deeſt anterior ex oſſe frontali producta eminentia. II. in qua perijt poſterior ex oſſe occipitis. III. Rotunda, in qua utraque abeſt, capite ad ſphærę formam tornato. IV. Lata, in qua eminentiarum tranſpoſitio facta, ita ut ad aures ſint utrinque. V. Longa, quæ talis arte reddita ex naturali.

Priores duæ ſatis ſunt frequentes. Rotundam ſe inveniſſe negat Io. Filipp. Ingraſſias Siculus *com. iij. in lib. Galeni de oſſ. cap. 1.* inter innúmeras calvarias, quas eo fine in diuerſis cæmiterijs inſpexit. Quamvis enim primo intuitu ſphæricæ apparerent, circinus tamen, aliquam eminentiam adeſſe ſemper docuit. Quarta monſtroſa eſt, quam nuſquam habet Hippocrates, Galenus autem l.c. affert tanquam impoſſibilem, aut cum qua homo ſupervivere nequeat. Obſervarunt tamen & menſurarunt eam magni viri. Petrus Aponenſis *differ. 79.* in nano, & alio huic quaſi conſimili.. Hugo Senenſis, Bononiæ in puero quatuor annorum, vt refert *ij. Art. Medic. com. xxxvi.* Veſalius in tribus alijs, quorum hiſtorias recenſet *l. 1. De hum. corp. fabr. c. v.* Legi poteſt etiam Caſpar Hofmanus *com. in Gal. l. ix. de uſu part. n. 698.* Ingraſſias in mendico octodecim annorum, cujus caput Patavij in templo D. Antonij A. 1534. ipſe menſuravit, tametſi è longinquo conſpicien-

ſpicientibus ſtatim latitudo longitudine major apparebat. Monſtroſum tamen illum fuiſſe addit atque imperfectiſſimum, oculis in medio faciei turpiſſimè poſitis, vertice acuto, & vere φοξὸν, quaſi in fronte & occipite maxima fuiſſet compreſſio facta. Manus erant ſine digitis, cochlearis potius formam repræſentantes. Vnde colligitur, veriſſimam eſſe hanc capitis deformationem iuxta ac perverſiſſimam, veniamque mereri Hippocratem, qui omnino omiſit, & Galenum, qui vitalem negavit: cum quod admodum rarò contingit, parum id obſervandum eſſe cenſeat ipſe Philoſophus *l.3. Hiſt. Anim. c. xv.* Conſimile fere portentum oportet fuiſſe Therſiten Achivum *Iliad. ij.*

— αἴσχιστος δ' ἀνὴρ ὑπὸ Ἴλιον ἦλθε
φολκὸς ἔην, χωλὸς δ' ἕτερον πόδα, τὼ δέ οἱ ὤμω
κυρτώ, ἐπὶ στῆθος συνοχωκότε. αὐτὰρ ὕπερθε
φοξὸς ἔην κεφαλήν, ψεδνὴ δ' ἐπενήνοθε λάχνη.

Turpiſſimus autem vir ad Trojam venit
Strabo erat claudus autem altero pede, & ipſius humeri
Curvi & in pectus contracti: & deſuper
Acutus erat capite, rara autem percurrebat lanugo.

Quintam adamarunt Macrocephali, apud quos populos longiſſima habentes capita generoſiſſimi exiſtimabantur. Simul ac enim editus eſt infans, caput ejus tenellum & molle manibus effingunt, & in longitudinem adoleſcere cogunt, vinculis & idoneis artibus adhibitis, quibus capitis rotunditas vitietur, & longitudo augeatur. Hoc inſtitutum primum huiuſmodi naturæ dedit initium: ſucceſſu vero temporis in naturam abijt, ut proinde inſtituto nihil amplius opus eſſet, t. Hippocrate *l. De aer. aq. & loc.*

Ad explorandos harum figurarum defectus, quatuor lineas proponit *Spigelius l. 1. Fabr. C. H. c. viij.* ex quarum æqualitate vel inæqualitate certi fieri de depravata capitum ſymmetria poſſimus. Primam nominat *faciei* lineam, quæ ab imo mento ad ſupremam frontem pertingit. Altera eſt linea *occipitis*, quam à vertice ad colli primam vertebram ducit. Tertia *frontis* eſt, ab vna temporum cavitate ad alteram excurrens. Quarta *ſyncipitis*, quæ ab ima aure, ubi proceſſus mamillares prominent, ad ſyncipitis elatiorem partem extenditur. Si enim ex his lineis ea quæ faciei eſt, longior fuerit, caput longum dicetur: ſin brevior, brevius: Si frontis linea longior cæteris, caput latum erit: ſi occipitij, caput acuminatum. Si om-

nes

lib. de oſſibus, ſed ad rem, quam nunc paro, minus commoda.

Qui *partes externas* conſiderant, id quod à Philoſopho factum *lib.* I. *Hiſt. Animal. c. vij. & ſeqq.* cujus ductum in pleriſque nos nunc ſequemur, illi caput in τριχωτὸν diſpeſcunt, atq; πρόσωπον. Illud latine *capillitium* vocare licet, non quatenus vox ſolos capillos notat, ſed partes etiam ſubiectas, quibus ipſi innaſcuntur. Ariſtoteles l. c. σκαφίον appellat à cavitate & rotunditate, quod Gaza Calvam vertit: quaſi Calvaria oſſea foret, Calua vero ipſi ſuperinductæ cutis portio, quæ capillos emittit, & in qua calvities accidit. Nec deſunt, qui hanc partem capillatam Caput in ſpecie nuncupent: exemplo Hippocratis, qui librum *de vulneribus capitis* conſcripſit, intelligendo ea tantum vulnera, quæ cranio infliguntur. Ita Chirurgi recentiores hanc verbi etymologiam retinent, dum vulnera faciei à capitis vulneribus diſtinguunt. Nos, cum verba valeant ſicut nummi, Capillitij vocabulo utemur: cujus termini ſunt extimorum radices capillorum. Conſtat autem capillitium quinis partibus: Syncipite, Vertice, Occipite, Temporum dextro, & ſiniſtro.

Sinciput anterior pars capitis eſt, Ariſtoteli βρέγμα, ab irrigando, quod ille locus infantibus madet, donec dentes acquiſierint, nec corroboratur ante primum ſermonis exordium, auctore Plinio *l. xj. Nat. Hiſt. c. xxxvij.* Quapropter in tenellis ſua ſe mollitie ultro prodit: in adultis exploratur medio digito, cujus apex ad ſuturæ ſagittalis & coronalis concurſum pertingit, ſi carpus dorſo naſi ad intercilium applicetur. Eſt enim ſinciput, ut hoc loco ſumitur, illa pars capillitij, cui ſuperior portio oſſis frontalis ad ſuturam uſque coronalem ſubjacet, cujus flexum quoque figura ejus ſuperiori parte imitatur, inferius arcu, quem radices pilorum frontalium deſcribunt, terminatur. Tametſi frequenter crines ſincipitis ita poſiti reperiuntur, ut cuſpide quadam in mediam frontem excurrentes, arcus minores binos efforment, dominantis indices Veneris. Vnde glabras ſyncipitis partes, ab arcubus illis interceptas, *montes venereos* nominare Metopoſcopi conſueuerunt. Cæterum capilli ſyncipitis ſpeciali nomine Antiarum donantur à Nonno & Feſto. Lucilius *l. vij. Satyr.* Capronas vocavit.

Vertex Quinctiliano *lib. viij. Inſtitut. Orator.* à capillorum flexu dicitur, quod eo loci aquæ inſtar in gyrum vertantur. Auctori In-

 trodu-

troductionis Galeno adſcriptæ *cap. x.* κορυφὴ, quaſi κρυφὴ, quod pilis, quorum centrum eſt, contegatur. Reſpondet autem vertici magna portio ſubjectorum oſſium, quæ in ſceleto ſyncipitis oſſa nuncupantur, ſutura invicem ſagittali coagmentata. De figura verticis ſi quæratur, tetragona ea eſt, non rotunda, utut paradoxon hoc videatur prima fronte. Scilicet ſi concurrant quatuor lineæ circulares, cujuſmodi ſunt Syncipitis, Occipitis & Temporum: pars ab ipſis intercepta quadratum, cujus latera introrſum arcuata ſint, neceſſario exprimit. Neque enim hic penſitanda ſola capillorum tortura, quæ utique gyrum in refert : immo abſque contorſione cutis aut oſſis ſubditi duplex eſſe poteſt, quos proinde δικορύφους ſeu bivertices Ariſtoteles vocabat. Id uni homini proprium eſſe, Plinius addit loco proxime laudato, & Volcherus Coiter macrobios dici oſtendit. Verticis capilli in altum congeſti, Tutuli priſcis, teſte Varrone *l. vi. de L. L.* nuncupati fuerunt.

Occiput ſive occipitium, Hippocrati κοτὶς ſeu cerebellum, quam vocem Galenus *in Gloſſ. Hipp.* per ἰνίον explicat, cum inde ἶνες ſeu nervi originem ſumant. Oppoſitum eſt ſyncipiti, claudens caput parte poſtica. Reſpondet, oſſi ſuo toti, & portioni oſſium ſyncipitis proximæ. Figura ſuperius finitur ſubrotunda, inferius baſin obtinet fere rectilineam. Aegrius ſyncipite calveſcit.

Tempora, Græcis κρόταφοι, tempus ætatis & annos ſenij produnt ſua tum canitie, tum contabeſcentia. Caneſcunt enim ſenibus primo tempora, mox macreſcunt, abſumtis muſculi temporalis partibus carneis. Immo cava tempora à tenui admodum victus ratione fieri, unde caput oblongum appareat, Hippocrates auctor eſt. Equi quoniam brevioris ævi ſunt, anno ſtatim decimo cava oſtentant tempora, teſtimonio Columellæ *lib. vij. De re ruſt. c. xxjx.* Sita ſunt partim ſuper oſſa propria, partim ſuper laterales oſſium ſyncipitis portiones, ubi compages capitis eſſe compreſſior incipit. Nacta ſunt formam rotundam parte ſuperiori, inferius acuminata parum, ad varios capillorum flexus ante & pone aures, deſinunt. Huius loci pilos, præſertim ſi criſpentur, Cincinnos nominant.

Menſurationem harum partium ita inſtituito. Finge verticem eſſe centrum capillorum, cujus circumferentia radicibus eorundem extremis, licet inæqualiter finiatur. Namque linea filo à ſumma fronte ad cervicem ducta ſuperabitur ab altera, quæ à prominentijs oſ-

ſis

ſis jugalis ad tragum, circa quas pili temporum terminari ſolent, tranſverſim per verticem protenditur. Prior, quam *rectam* appellabimus, vnius pedis erit, cujus quaternæ vnciæ ſyncipiti, vertici, & occipiti tribuantur. *Tranſverſa* ſedecim æquabit uncias, quarum octo vertici, quaternæ vtrique tempori aſſignandæ. Et abſolutam habebis dimenſionem per filum. Anthropometron applicatum anterius, monſtrabit uncias duas: poſterius, ſeptem: quinas vtrinq; in temporibus prope tragum quo loco cincinni terminantur.

CAP. XII.

Symmetria faciei.

ALtera pars capitis *facies* eſt, in qua eluceſcit veneranda majeſtas, quæ vel crudeliſſimum quemque ad manſuetudinem convertat, ſævienteſque domet animos. Vnde primævis temporibus & opes, & honores pro faciei ſpecie ac decore diſtributæ fuerunt, ſi Lucretio credimus *lib. v.* ita canenti:

Et pecudes, & agros diviſere atque dedere
Pro facie cuiuſque, & viribus, ingenioque.
Nam facies multum valuit.

Græcorum πρόσωπον nomen a reipſa accepit, corrivante Philoſopho *l. iij. de part. animal. c. j.* cum unus animalium homo antrorſum proſpiciat. Vnde facies ſoli huic, cœteris os aut roſtra inquit Plinius *l. xj. Hiſt. Nat. c. xxxvij.* nec piſcis aut bovis faciem dicere ſolemus, uti cenſebat Ariſtoteles *j. Hiſt. Anim. c. viij.* ſiquidē in animalibus ratione carētibus ea pars προτομὴ eſt, apud Athenęū *l. vij.* Latinis vultus quoq; nuncupata fuit, ea differentia, quod immutabilis ſit facies, vultus juxta diverſos animi affectus variari queat, ut notavit Servius ad Virgilium. Eius rei vocabulum Græci non habent, advertente Cicerone *l. 1. de Leg.* Amplo vocis ſignificatu à Poetis os appellatur, velut Ovidio *j. Metam. fab. ij.* & Virgilio *l. j. Æneid.* Verum A. Gellius *l. xiij. Noct. Att. c. xxviij.* ex Pacuvio, Saluſtio, Plauto, Quadrigario oſtendit, faciem non tantum ſumi pro ſtatura, corporiſque totius figura: ſed conuenire etiam rebus cujuſ-

que modi alijs, quod montis, & cœli, & maris facies, ſi tempeſtive dicatur, probe dicitur.

Hæc de ratione nominis. De limitibus faciei genuinis controverſiam vigere, apud auctores primæ notæ animaduerto. Auctor Medici apud Galenum *cap. x. A priore parte capitis*, ait, *ſub toti fronte, auribus, oculis, naſo, & ore ad mentum uſque circumſcripta à ſupercilijs incipiens facies dicitur. Vbi enim frons à ſuperioribus deſcendens deſinit, ſupercilia, ceu termini ejus eminentes & pilis conſiti, eam excipiunt*. Ex quibus verbis ſequitur, faciem à ſupercilijs ſolum ad menti imam partem extendi, ſeu faciem fronti ſubeſſe, ut loquitur Iulius Pollux *lib. Onomaſt. ij*. Et revera ſi capitis oſſa perpendamus, firmo ſtat hæc ſententia talo, cum os frontis tum unicum ſit, tum ad calvariam communiter referatur: unde quicquid ipſi ſubiacet, facies erit. Verum, quoniam ſceleti ſpeculatio ab inſtituto noſtro alienior, quippe qui partium externarum rationem venamur: noſtrum erit his inhærere, alijs non, niſi quatenus ipſarum contemplatio externis facem allucet.

Quapropter faciei fines ampliaturi, auſpicio ipſius Philoſophi *l. 1. Hiſt. Anim. c. viij.* faciem nominabimus eam in homine partem, quæ calvæ ſubiecta eſt. Calvæ vocabulo capillitium indigitari, ex ſuperioribus patet, quod anterius ad ſupercilia non extenditur, ſed ſumma fronte deſinit: poſterius cervice terminatur, lateraliter in temporibus circum auriculas. Vnde quatuor erunt ipſius termini: ſurſum ſynciput, inferius mentum, aures ad latera. Et quanquam inſignem faciei partem barba quoque virorum obumbret, capillis tamen barbam conſtare minus bene dixeris, quod id genus pilorum capiti proprium eſt.

Menſuram faciei ſi ope anthropometri anquiras, octo æquare uncias longitudinem eius à ſyncipite ad menti apicem reperies: ſiquidem pars illa carnoſa, quæ à mento ad laryngem retrocedit, ſub anthropometri rationem non cadit. Filo ſi rem exequaris, menſurando à ſumma fronte deorſum, flexo ad latus parumper naſo, per mentum ad laryngem ſeu cavernulam, quæ ſupra pomum Adami dictum tangitur: duodecim inventurus es uncias. Idem ſpatium exhibebit filum, à trago uno ad alterum ſub naribus, tranſverſim extenſum.

Notabilis itidem commenſus eſt, quem æquali inter ſe diſtantia

ſervant Tragus, Glabella, & Menti extremitas. Nam ſi filo jungantur invicem, perfectum confici triangulum comperies, cujus ſingula latera ſenas habebunt uncias. Ludovicus Septalius *lib. De nævis* faciem dimetitur ex latitudine philtri medij, aut naris alterutrius.

A ſymmetria naturali ſi recedatur, emergunt facies (ut ita loquar) diſproportionatæ. Ex quantitate oritur facies magna, ignaviæ & ſimplicitatis indicium: vel parva, qualis per ſimilitudinem ſimiis atq; felibus, evidenti calliditatis ac puſillanimitatis argumento. Oblonga nimis facies, quæ ad canes viliores refertur, injurioſum atq; inverecundum ſignificat. Concava pravos mores, rotunda ſtultos, plana moroſos notat. Facies carnoſa valde, ſtolidum & voluptuarium, macra circunſpectum & ſubtilis ingenij: oſſoſa laborioſum atque timidum indicat. Confer decem picturas, quibus facierum diverſitatem exhibuit Cornelius Giradellus *Decade ix. Cephalol. phyſiogn.* De pulchritudine tamen faciei ſi ſermo ſit, præſtat oblõga decenter facies ea, quæ exacte rotunda. Vnde Bodinus *Meth. hiſtor. c. v. Cum maiores noſtri*, inquit, *vultus oblongos formoſiores eſſe putarent, obſtetrices ſenſim perfecerunt, ut longiſſimæ viderentur. Id quod videre eſt in antiquis ſtatuis & imaginibus*. Quin & Seruatori noſtro non rotunda fuit, aut acuta facies: ſed qualis matris eius, paullulum deorſum vergens, ſuffragio Nicephori *lib. 1. Hiſt. c. ult.*

CAP. XIII.

Faciei in partes diſtributio.

QVi ſint faciei limites, quæq; eius in univerſum ſymmetria, capite proximo ſufficienter pro rei inſtituto vidimus: proximum nunc erit, ipſam in ſuas partes, quarum plurimæ & maxime inſignes, digerere. Ea namq; ratione, ubi ad ſpecialem ipſarum conſiderationem perventum fuerit, nulla ſuperabit difficultas.

Spigelius aut, qui eius opus poſthumum de hum. corp. fabr. edidit, Bucretius *lib. 1. c. 1.* poſt allatam capitis diviſionem in capillatam, glabramque partem, hanc iterum in faciem & aures partitur.

Faciei partes ſeptenas recenſet: frontem, naſum, oculos, genas, labia, os, & mentum.

C.Bauhinus *l.De ext.hum.corp.part.capite tertio*, præter frontem, quatuor eſſe faciei propriè dictæ partes ſtatuit: oculos, nares, genas, atque os. Aures autem cum ad latera ſint, verius in capite quam facie locari. Idem *cap.viij.* auctoritate Philoſophi probare nititur, qui *lib.1.Hiſt.Anim.c.xi.* ſcribit: *Auris eſt pars capitis, qua audimus.*

Ego quod in utriuſq; opinione deſiderem, non deeſt: dummodo hiſcere non invitis tantorum virorum manibus audeam. Ad *Spigelium* quod attinet, quanquam bonæ diviſionis requiſitum minime ſit, ut ea fiat in membra prorſus æqualia: qualemcumq; tamen in diuidēdo æqualitatē, quoad eius fieri poteſt, omnino ſervandā eſſe conſtat. Quod ſi ad examen revocetur illa Spigelij diviſio, qua pars capitis glabra in faciem & auriculas diſtinguebatur: enormis ſe mox prodit inæqualitas, cum ſeptenas illas partes, quas in facie ipſemet [illegible]merat, ad juſtitiæ bilancem expenſas ſimplex aurium levitas æquare nullo modo valeat. Quæ res parvi quidem momenti, non ſpernendæ tamen neceſſitatis eſſe videtur. *Bauhini* ratio, qua aures à facie ſegregatas capillitio adſcribit, nulla eſt: cum & ipſæ genæ ſi non totæ, maximam ſane partem ad latera poſitæ ſint, nec minus tamen faciem componant, haut capillitium. Ad Ariſtotelis teſtimonium quod attinet, minus opportunè adductum id fuiſſe, attentius locum conſideranti patebit. Neque enim capitis vocabulum ſtrictius ibi à Philoſopho vſurpari pro parte capillata, evincit tractatio aliarum partium faciei & eodem, & binis præcedentibus facta capitibus. De capillata nimirum parte quicquid dicturus erat, ſeptimo capite abſolverat: quatuor proximè ſequentibus partes ipſi ſubjectas enumerat, præterquam quod undecimo de temporibus paucæ admiſcet. Quod verò aurem diſertis verbis, veluti de naſo fecit, faciei partem eſſe non aſseveravit, ſed capiti tribuit, reſponſio in promtu eſt: Caput ipſum pro toto tum accepiſſe, quatenus vel ipſi oculi capitis partes nominari haut nequeunt.

Denique ſi adducta inſuper ratione opus eſt, qua aures faciei potius, quam capillitij partes eſſe probetur: ipſarum profecto ſufficit levitas. Etſi enim certis locis hirſutæ aures appareant, unde tragi vel hirci nomen ortum; capillos tamen produxiſſe numquam viſæ ſunt.

Diſcuſ-

Diſcuſſis ita his opinionibus atque ex parte rejectis, aliam ſubrogare diſtributionem faciei, ſi non meliorem, æque certe bonam, allaborabimus. Procedit illa hoc pacto, ut tota facies dividatur in partes anticas, & laterales. *Antica* plures ſunt: frons, oculi, naſus, labia cum mento. *Lateralium* duas numero: genas, & auriculas. Quarum ſymmetriam ſequentia docebunt capita.

CAP. XIV.

Symmetria frontis.

SEntentias eorum, qui frontem ad calvam referebant, ſupra examinavimus, ſimulque partem faciei ipſam eſſe, ex decreto ſubtiliſſimi Stagiritæ ſanximus. In præſenti, quibus finiatur limitibus, quas partes habeat, & qua ratione dimetienda ſit, explicandum reſtat.

Limites fontis a longitudine & latitudine dependent, quæ loci poſitiones ipſi cum toto corpore non eædem. Quæ enim corpori latitudo recta eſt, fronti tranſverſim extenditur: & quæ corpori latitudo tranſverſa, conſenſu Metopoſcoporum principum, fronti recta decurrit. Latitudo itaque frontis ea erit, quam ſuperius radices antiarum, inferius ſupercilia cum glabella terminant. Longitudo ad mentem C. Bauhini *lib. de ext. hum. corp. part. cap. iij.* ab una aure ad alteram porrigitur: alijs mox ad tempora, ubi os frontis in angulos comprimi incipit, finitur. Nos cum Spigelio & Phyſiognomis medium tenentes, longitudinem frontis cavitatibus temporum, quibus cincinni utrinque radices figunt extremas, coerceri ſtatuimus. Reſpondet ipſi inferior pars oſſis frontalis, & anterior oſſis temporum: adeoque frons dicenda pars illa faciei depilis, quæ antijs, ſupercilijs, cincinniſque tota fere circumſcribitur.

Frontis proportionem ſi anthropometro indageris, ejus longitudinem latitudini capitis paullo minorem invenies, latitudinem vero trium fere eſſe unciarum. Filo ſi metiare à cincinnis dextris ad ſiniſtros, octo habebis uncias, quot ſcilicet requirebat ad *li-*

neam

neam frontis conſtituendam Spigelius, qua de re ſupra c. x. actum eſt.

Contra has menſuras ſi peccetur, frontes oriuntur aſymmetræ, quarum vitia notavit Philoſophus *l. j. Hiſt. Anim. c. viij. lib. Phyſiogom. c. vj.* alijque Metopoſcopi. Pinxeruut etiam Io. B. Porta *l. ij. Phyſiogon. human. c. 2.* Cornelius Giradellus Bononienſis *Decad. ij. Cephalol. Phyſiogn.* Quibus frons valde magna, qualis boum, ſegnes: quibus parva nimis, mobiles: quibus rotunda, iracundi: quibus convexa, qualis aſinorum, ſtupidi: quibus depreſſa, effœminati: quibus lata, velut Caligulæ Cæſari, ad inſaniam proni: quibus anguſta, qualis porco, indociles & immundi: quibus aſpera ob monticulos & foſſiculas, fatui atque improbi. Laudatur quadrata, cuiuſmodi Iconibus, tanquam magnanimitatis nota. Vnde Ovidius Montalbanus apud Giradellum figuræ capitis, cui frons quadrata, hoc elogium adjecit:

Frons quadrata, pares referat ſi corporis artus,
Magnanimum & juſtum ſignat in orbe virum.

Laudatur à Plutarcho frons Platonis longa, & minus plana, cuiuſmodi canes ſagaces oſtentant. Immo ob ampliorem frontem nomen adeptum eſſe Diogenes Laertius *lib. iij.* ex Neanthe ſcribit. Tali præditum fuiſſe Danthem Alighierium Poetam Italum celeberrimum, auctor eſt Io. B. Porta l. c.

Profectò, cum frons animi janua, ſedeſque pudoris ſit Tullio; Plinio triſtitiæ, hilaritatis, clementiæ, ſeveritatis index: utique ex ipſius inſpectione argumenta morum, per quos animus inviſibilis ſe prodere ſolet, deſumi poterunt. *Non augur ſum*, ait Satyricus, *nec cælum inſpicere ſoleo: ſed ex frontibus hominum fata colligo.* Colliguntur illa ſigna non tantum ex frontium diverſis formis, quippe quæ à ſubiecto oſſe tantum pendent: ſed ex ipſa quoque cute, quæ ſoli homini & in ſola fronte mobilis. Inſculpſit enim ipſi divinioris digitus numinis ſtrias quaſdam, quæ animos ſapientum ad ſui contemplationem omni rapuere tempore. Non deſunt oſores id genus ſtudiorum, qui perinde ut in charta complicata ex corrugatione cutis fortuita fieri has lineas, & propterea nullius divinationis fundamentum eſſe cenſendum, oggerunt. At vero, lineas frontis eſſe ſimiles lineis in charta poſt complicationem relictis, à veritate alienum eſt. Illæ enim, ſicuti & lineæ manuum pedumque, profunditate aliquali gaudent: & cælo quaſi excul-

exculptæ apparent: hæ contra, meræ plicæ ſunt levi negotio explanandæ. Comperimus nos experimento in cadavere facto, cutim humanam in rugas compoſitam, etiamſi ſtrictiſſime & ſatis diu comprimatur, in plicas faceſſere, nequaquam in lineas frontalibus ſtrijs ſimiles. Vlterius, rugis omnibus comites lineas neceſſario intercedere, falſum eſt exemplo vetularum, quarum facies plures oſtentat rugas, quam lineas. Falſum etiam eſt exemplo plerorumque ridentium, quibus ruga oritur in vtraque gena, lineam tamen poſt ſe exaratam non ſemper relinquens. Monſtrat veſtigia linearum frons recens nati fœtus, qui uteri carcere clauſus aut omnino non corrugavit frontem adhuc, aut certe non ea violentia, quæ linearum ſulcos cuti inſculpere poſſet.

Quicquid ſit, non abeſt ſuſpicio, & antiquiſſima obſeruatio. Nos curioſo harum rerum lectori brevem non minus quam perſpicuam methodum, qua lineæ frontis aut cognoſci in homine, aut pingi in charta debeant, propoſituri ſumus. Diſcurrunt ſtriæ omnes per frontis longitudinem tranſuerſim, excepta unica, quæ glabellam recto ſitu occupans Mercurio tribuitur. Tranſuerſarum aliæ longiuſculæ ſunt, breuiores aliæ. Longarum ſuprema antijs vicinior eſt, & Saturno aſſignata. Altera huic ſubiecta proxime, Iovis agnoſcit dominium. Tertiæ Mars imperat. Quarta Venerea eſt. Brevium duæ ſunt, non gradatim, ſed æqualiter ſitæ: quæ, etſi, rariſſime in unam longam coire obſervantur. Solaris dextro accubat oculo, Lunaris ſiniſtro. De Mercuriali notandum, in multis eam geminari, eloquentiæ felici iudicio, ſi utraque recta ſit, nec interciſa, aut alia ratione vitiata, quemadmodum in intercilio muliercularum loquacium plures lineolæ inter ſe confuſæ, conſpici, aſſolent.

Cæterum non eſt credendum, omnes omnium frontibus inſcriptas eſſe lineas: deſunt haut raro una vel altera, tribus tamen pauciores vix invenias. Quod ſi quæ deſecerint, eorum loca circini ope indagari licet, dividendo totam frontis latitudinem in ſex ſpatiola, ſitum linearum præſentium & abſentium demonſtrantia. Contuere ſchema capite vigeſimo proponendum.

Harum linearum magna eſt in craſſitie & tenuitate differentia, unde magis vel minus ſunt conſpicuæ. Quibus ſubtiliores natura conceſſit, moderata corrugatione evidentiores fiunt. Sic altius cogitantes admirantesque ſupercilium tollere, & lineas rugis intercep-

tas monſtrare ſolemus; quam corrugationis ſpeciem Græci ἐπισκύνιον, ſupertentorinm vocarunt. Iraſcentes contra, cute deorſum verſus ſupercilia & glabellam rugante, νεφέλην ſeu nubem repræſentant, quam ſupercilio demere Poeta jubet, frontemque Genio dicatam hilaritatis, explanatione ſerenare. Sunt quibus exporrecta frons nunquam eſt, ſed rugis permanentibus ipſo juventutis flore obſito: hi cogitabundi ſunt, atque ante ſenectutem ſenes. Senectutis enim proprium eſt, rugas inducere: unde Horatius *Epod. viij.*

Cum ſit tibi dens ater, & rugis vetus
Frontem ſenectus exaret.

Nonnullis ex conſuetudine frequenter frons caperat deorſum, ſeveritatis judicio. Vnde Plautus in Epidico: *Quid illuc eſt, quod illi caperat frons ſeveritudine?* Alijs erugata plane frons eſt, ſicut Epicuro, tradente Sidonio Apollinari ad Fauſtum. Is fuit vacuus curis & perturbationibus, voluptatis ſectatus amœnitates. Huic cognata eſt frons tranquilla, quam in canibus domeſticis intuemur, aſſentatoribus propria. Tranquillæ opponitur auſtera ac tetrica, hominis moroſi atque moleſti argumentum. Chriſtiernum Daniæ regem tali fuiſſe refert Porta *l. ij. Phyſiogn. hum. c. 9.* qui neſcio ſuo fato, an merito, crudeliſſimi nomine tyranni traducitur. Frons triſtis, cujuſmodi erat Leonidæ Plautino in Aſinar. ſolicitum curis & ſubdolum notat: hilaris lætum & gratioſum, quali Scipionem Africanum fuiſſe narrat Plutarchus: ideoque in conciliandis ſibi militum animis multum is valuit. Carnoſa frons eſt, cui pellis craſſa: macra cui tenuis. Illa intellectus craſſitiem, hæc ſubtilitatem indicat.

CAP.

CAP. XV.

Symmetria oculorum.

FRonti ſubiacent *oculi* pars corporis pretioſiſſima, & qui lucis uſu vitam diſtinguunt à morte: unde ab Heſychio ſolis portæ appellatæ fuerunt, faces amoris veteribus atque animi feneſtræ. Quamobrem Tullius *l. j. de Legib.* jure merito ſcriptum reliquit, oculos nimis argutos, quemadmodum animo affecti ſimus, loqui. Partes habent in parva mole quam plurimas, quarum interiores noſſe Anatomici magis intereſt, nobis externæ ſufficient. Earum duas conſtituo: Palpebram, & Bulbum.

Palpebra cutaneum eſt involucrum, oculi orbita circumſcriptum, mobile, certis locis piloſum. Dividitur in partem ſuperiorem & inferiorem, quarum hanc Hippocrates *vj. Aph. xjv. & lib. j. de morbis*, videtur γνάθου τὸ λεπτὸν, tenuem genæ particulam, quæ diſſecta non coaleſcat, nominaſſe. Earum lateralis concurſus angulos binos efformat, quos κανθοὺς & hirquos nominant. Major interius ſitus eſt, in quo prominet caruncula lachrymalis dicta: minor temporibus adſtat. *Hi ſi juſto longiores ſunt, notam morum maleficorum præbent: ſi carnoſi more pectunculorum ſunt, qui naribus iunguntur, malitiam præferunt*, obſervatione Ariſtotelis *j. de hiſt. animal. c. jx.* Superior palpebra in rugas aliquot proſpicientibus contrahi ſolet, inferior non item. Pili palpebræ alij in medio ſiti ſunt ad crepidinem tarſorum, vulgoque *cilia*, etſi minus recte ex cenſura Scaligeri, dicuntur. Alij in margine palpebræ ſuperiori, cui orbitæ ocularis pars ſuperna ſubeſt, & ſupercilia nuncupantur, hirſutie ſua frontis decliviorem regionem terminantia. Hæc Paullus *apud Feſtum* in Iunonis tutela eſſe dicit, quod oculos protegant, per quos luce fruimur: lucem autem à Iunone tribui putabant, unde Lucina audit. Protegunt ſane oculos valli inſtar, vt loquitur Galenus *xj. de uſ. part. c. xjv.* adverſus ea, quæ ſuperne incidere poſſent, ſudoremque à capite & fronte defluentem repellunt, ut notavit ipſe Cicero *l. ij. nat. deor.* Quà de cauſſa portio frontis proxima, in qua ſudor copioſior colligitur, apud Græcos peculiare nomen adepta eſt, ut γεῖσα ὀφρύων appelletur, quod

Gaza ſuperciliorum grundam vertit. Dividuntur ſupercilia in caput, quod naſo proximum: & caudam, quæ tempora verſus vergit. Intercedit ſupercilia pars depilis, quam intercilium vocabat Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus *Origin. l. xj. c.j.* glabellam Martianus Capella *lib. de nuptijs Philol. & Mercur.* in qua parte, animi principatum ſtatuit Straton Philoſophus, ſi fidem habemus Plutarcho *lib. 4. de placit. Philoſ. c. v.* Hirſuta ea aliquando reperitur, ſuperciliјs ad naſum protenſis ac coeuntibus, quod dominantis melancholiæ argumentum eſt. Supercilia enim ſi in rectam porriguntur, mollem ſubeſſe animum ſignificant: ſi iuxta naſum inflexa ſunt, auſterum notant & acerbum. Si iuxta tempora infle̊ctuntur, deriſorem atque diſſimulatorem indicant: ſi vero in totum demiſſa, notam invidiæ habent. Verba ſunt Ariſtotelis j. *Hiſt. Anim.* jx. Veteres nimirum partem animi in ſuperciliјs poſuerunt, auctore M. Tullio tum Orat. pro Roſcio, tum l. 1. de Offic. Plinius *l. jc. c. xxxvij. In aſcenſu frontis,* inquit *ſupercilia homini & pariter & alterne mobilia, & in ijs pars animi. Negamus, annuimus. Hæc maxime indicant faſtum. Superbiæ alicubi conceptaculum, ſed hic ſedem habet. In corde naſcitur, huc ſubit, hic pendet. Nihil altius ſimul abruptiuſque invenit in corpore, ubi ſolitaria eſſet.* Laudabilia igitur ſupercilia leviter debent eſſe arcuata, non nimis piloſa, coloris præcipue nigricantis, cuiuſmodi Nicephorus Chriſto quoque tribuit *l. j. Hiſt. c. vlt.* & Homerus ſui Iovi.

Illud notatu dignum, ſolos palpebræ pilos & naſci nobiſcum, & certas productionis ſervare limites: cuius rei rationem in loci cartilagineam ſiccitatem rejicit Galenus l.c. cum ſine lege creſcere videamus capitis, axillarum, pudendorumque pilos, quippe qui partes molles ac temperatas natale ſolum agnoſcunt. Quapropter irridet Moſen, quod male de natura raciocinetur arbitrando, Deum non prævia diſpoſitione materiæ omnia facere poſſe, dummodo velit, etiam ex cinere equum aut bovem. Credebat namque Galenus, Deum quidem omnia facere poſſe, ſed ex certa materia: quæ ſi deeſſet, ſolam voluntatem non ſufficere. Vnde impie affirmat, etiamſi millies Deus voluiſſet, nunquam tamen rectos ſtare potuiſſe pilos palpebrarum, niſi loco duro infixiſſet. Ob privilegium iſtud ſacri habiti olim fuere ipſi ab Aegyptiorum ſacerdotibus, qui cum reliquos omnes raderent, qui poſt ortum demum proveniunt, ab

his ſolis abſtinebant. Atque hæc de palpebra.

Bulbus extrema ſui ſuperficie tres oſtentat diſcolares particulas: albumen, iridem, pupillam. *Pupilla* in omnibus nigra, & ſpeculi inſtar lucida, quo incidentes reflectat imagines. Eius ſplendorem albo puncto impoſito repræſentare pictores ſtudent. Pupillam ambit circulus *Iris* vocatus, à ſimilitudine, qua arcum cœleſtem colorum tam pulchritudine, quam varietate refert. Claritate vincitur, ſed magnitudine pupillam ſuperat. Galenus iridi tres colores tribuit, *Art. Med. c.xxvj.* glaucum, nigrum, & inter hos medium. Ariſtoteles ſibi non conſtat hac in re. Etenim *l.5. de gener. animal. c.j.* nigrum, glaucum, & varium: in Problemat. nigrum, ſubnigrum, & glaucum recenſet. Quatuor agnovit *l.j. Hiſt. animal. cap.x.* atrum puta, admodum cæſium, fulvum, & caprinum: quorum hunc morum optimorum iudicium eſſe & ad cernendi facultatem primatum obtinere aſſerit. Solus enim animalium homo numeroſa oculorum varietate notatur, cum cæteris in ſuo ſingulis genere color ſit idem: equis exceptis, qui interdum oculis proveniunt cæſijs. Advertit Spigelius *l.j. Corp. hum. fabr. c.j.* integras nationes aliquem ex his iridis coloribus in pleriſque ſeruare individuis. Niger enim fere eſt Aethiopibus color: cæſius Belgis, & ſeptentrionalibus: fulvus Italis, viciniſque gentibus. Quicquid extra hos duos circellos reſtat, *album oculi* vocatur, albugo Gazæ: formaturque à parte tunicæ corneæ candicante, per quam minutiſſimæ venulæ in quibuſdam diſſeminari ſolent.

A bulbi quantitate oculi nominantur grandes, parvi, ac modici, qui optimi. A motu ejus dicuntur oculi mobiles, vel fixi. A ſitu eiuſdem oculi prominentes, conditi, & medium ſitum obtinentes. Conditi ex obſervatione Ariſtotelis l. c. clariſſime cernunt, in genere brutorum quoque. Modicus tamen ſitus nota morum eſt optimorum. Ad ſitum ſpectat quoque, ut uterque oculus in eadem linea recta ſit conſtitutus, nec pupilla unius oculi magis in angulum alterius vergat, quam alterius: quippe quod inde ſtrabiſmus oritur, turpe oculorum vitium. A palpebrarum conditione oculi aut nimium connivent, aut rigidi intentique conſtant, aut modice nutant. Notam morum laudabilium habent, qui mediocriter connivent: reliquorum alteri impudentiæ, alteri inconſtantiæ indices ſunt. A ſplendoris qualitate oculi ſunt vel ſicci, obſcuri, tri-

ſtes, ſeveri, torui: vel læti, ridibundi, amœni, fulgentes, qui toti faciei gratiam conciliant. Auguſto Cæſari nitidos oculos fuiſſe, auctor eſt Sabellicus, atq; ijs credi volebat aliquid divini vigoris ineſſe, gavíſus, ſi quis ſibi acrius intuenti, quaſi ad fulgorem Solis, vultum demiſiſſet. Aeneas Virgilij teſtimonio *lib.* 1. *Aen.* ctat

Os humeroſq; Deo ſimilis. nauq; ipſa decoram
Cæſariem nato genetrix, lumenq; iuventæ
Purpureum, & lætos oculis adflarat honores.
Quale manus addunt ebori decus, aut ubi flauo
Argentum, Pariuſve lapis circundatur auro.

Herculem ex oculis igneum ſpiraſſe ſplendorem, ZeZes teſtatur *Chiliad.iij. Hiſtor.* 105. Græcis ὄμματα πυρίεντα vocantur, ut patet ex *lib. vij.* Epigram. Græc. 145. Salmaci Nymphæ oculos Phœbæi annulos ſplendoris adſcribit Ovidius *l.*4. *Metam.*


—— Flagrant quoque lumina Nymphæ
Non aliter, quam cum puro nitidiſſimus orbe
Oppoſita ſpeculi referatur imagine Phœbus.

Enumeratas has particulas ſingulas ſeorſim menſurare, in vivente vix licet, nec ea res eſt impenſe neceſſaria: quoniam ijs dimetiendis oculi judicium, cujus præſtantia artifex valere debet, ſufficit. Oculi autem ſymmetriam in univerſum ſi ſcruteris, circino capias ſpatium à naſo ad orbitæ partem vicinam temporibus; id quod invenies complere uncias binas cum dimidia, & quidem æquale diſtantiæ ſupercilij medij à parte palpebræ inferiori, ubi genæ committitur ſuper eundem orbitę oſseum circulum. Filo ſi rem committas, totum oculi ambitum ſex unciarum eſse comperies, & proinde æquare propemodum ſpatium à glabella ad menti apicem. Oculorum decem varietates totidem facierum iconibus exhibuit Cornelius Giradellus Cephal. Phyſiogn. Decade quarta. Aliquas habet etiam Io. B. Porta lib. Phyſiogn. hum. iij. toto.

CA-

CAP. XVI.

Symmetria naſi.

NAſus Græce ῥὶν à fluxu nominatur, quod ſordes capitis per ipſum expurgentur: item μυξωτὴρ à coryza ſeu mucore Hippocrati μύξα dicto, qui à cerebro excrementi forma per nares delabitur. Interiectus oculis naſus eſt muri inſtar, magnam vim obtinens reddendi faciem formoſam ac deformem; cum faciei ſpeciem nulla pars magis qnam naſus evariet. Vnde Galenus *l. xj. de uſ. part. viij. Si exiguum quiddam*, inquit, *de labijs aut naſi alis fuerit abſciſſum, dictum difficile fuerit, quam deformis facies tota ſit futura.* Præbet naſus meatum ſpiritui, quem ea parte non minus, quam ore & reddimus, & accipimus. Sternutamus quoque naribus, quod ſignum augurale & unum ex ſpirituum omnium generibus ſanctum & ſacrum affirmabat Philoſophus *l. j. Hiſt. Anim. c. xj.* Quin & olfactus naſi beneficio adminiſtratur, tranſeuntibus ad cerebrum hac via rerum odoratarum ſpeciebus. Nec poterant nares alio loco aptius, quam ſurſum conſiſtere, quod *omnis odor*, ut Tullius habet *l. ij. De nat. deor. ad ſuperiora fertur, & quod cibi & potionis iudicium magnum earum ſit, non ſine cauſſa vicinitatem oris ſecutæ ſunt.* Notavit Ill. Fortunius Licetus *l. De mund. & homin. analog. c. 1. ex Dantis Alighiery Purgator. cantic. xxiij.* vocabulum HOMO in cujuſvis hominis facie naturaliter ſignatum eſſe. Cum enim auctoritatibus *Quinctiliani l. 1. c. v.* & *A. Gellij l. ij. c. iij.* H litera vera non ſit, ſed aſpirationis nota: proinde demta ipſa tres tantum remanent literæ. Iam duæ malarum eminentiæ, per ſuperciliorum arcus coniunctæ ſuperne cum naſo ad labia protenſo, repræſentant literam M antiquam: oculi duo O. O. referunt, curvaturis literæ M impoſita. Vnde in vultibus hominum, cumprimis emaciatorum, ex his membris formatur figura , quæ mortalium nomen latino verbo exprimit.

Naſus commode dividitur in partem ſuperiorem & inferiorem. Superior dorſo conſtat, & lateribus: inferior orbiculo, columna, atq; pinnis. Dorſum ab intercilio recta ad orbiculum protenditur: latera oculorum angulo interno utrinq; ad pinnas uſq; excurrunt. Eſtq;

hæc pars naſi ſuperior, ob os ſubjectum immobilis: ſicut inferior, cui cartilago tantum ſubeſt, moveri poteſt atque torqueri. Orbiculus eſt extremitas naſi, quæ ad latera pinnis ſeu alis, in medio columna ſuſtinetur, qua nares diſtinguuntur, unde interſeptum Gazæ, interfinium Iſidoro, Græcis *κίων* dicitur. Orbiculum hunc aut apicem naſi dehiſcere ijs, qui venerem exercere incipiunt, creditum eſt. Ratio videtur eadem quæ colli dilatati, quam vide capite vigeſimo.

Proportio naſi circino inquirenda. Longitudo à glabella ad philtrum æquare debet latitudinem frontis, ſeu quod idem eſt, conſtare tribus fere uncijs ſui anthropometri. Latitudo radicis ſeu ſpatij ab uno ad alterum oculum, unius ſit unciæ; inferius ſeſquiunciam habeat tum diſtantia pinnarum, tum altitudo à philtro per columnam ad apicem orbiculi ſumta: quæ ſymmetria ſi vitietur, naſi oriuntur variarum formarum, quas legere licet apud Camillum Baldum, & Fontanum *comment. in Ariſt. lib. Phyſiognom. cap. vj.* & intueri pictas apud Cornelium Giradellum Bononienſem *Cephalolog. Phyſiog. decad. v.* itemque apud Io. B. Portam *Phyſiogn. human. l. ij. c. vij.* Nos, cum figuris omnes differentias exhibere in præſenti non liceat, ſtylo breviculam præcipuarum dare delineationē conabimur.

I. Naſus *ingens* eſt, *qui* & longitudine, & latitudine, & altitudine menſuram naturalem excedit. Tali præditos, cum aliena nimis acriter judicare obſervaſſent Phyſiognomonici, ad Rhinocerotis naturam retulerunt, animalis callidi atque alacris. Hinc Martialis:

Et pueri naſum rhinocerotis habent.

Naſutum vero tum magno inſtructum naſo, tum reprehenſorem notare, Martialis in hunc ſenſum epigramma elegans teſtatur.

Naſutus ſis uſq; licet, ſis deniq; naſus,
Quantum noluerit ferre rogatus Atlas.
Et poſſis ipſum tu deridere Latinum:
Non potes in nugas dicere plura meas.

Pertinet huc Angelus Politianus, aliorum naſutus irriſor, ſui venuſtus encomiaſtes: cujus effigiem vide apud Portam.

II. Naſus *parvus*, qui ternis deficiens dimenſionibus debitam quantitatem non aſſequitur. Magno pejor eſt, cum inconſtantis conſilij homines indicet, Polemoni Athenienſi Philoſopho *lib. De nat. ſign. interpret.* atq; Adamantio.

III. Na-

III. Naſus *incurvus* is eſt, qui mox à fronte curvari incipit, roſtri inſtar corvini. Impudentiam notat, & rapacitatem Ariſtoteli in Phyſiogn. quibus vitijs corvi celebrantur, taurorum oculos confodere auſi. Incurvus Catilinæ naſus erat, qui avaritia atque impudenti ſua ambitione Romanis multa damna intulit. Adi Cœlium Rhodiginum *l. xiij. c. vi.*

IV. Naſus *aduncus*, qui ſub fronte mediocri gibbere incurvatur, ad modum roſtri aquilini, cum bona partium articulatione. Ad aquilas refertur, & magnanimitatem ſignificat. Adunco naſo magnus apud Perſas honor in eligendo rege: cum Cyrum tali præditum fuiſſe, non quod revera pulcher ſit, Xenophon teſtatum reliquerit, ac Plutarchus tum in Apophthegm. tum Polit. Habuere quoqne aduncum naſum Artaxerxes Magnus, Demetrius Gryphus apud Iuſtinum, Neoptolemus apud Daretem Phrygium, Sergius Galba apud Suetonium, Conſtantinus M. apud Zonaram. Qubus Porta l. c. addit Georgium Scanderbegum immortalis nominis heroem, Iſmaelem Sophum Perſarum regem, Mahometem Secundum, Selinum Bajazetis filium, & Solimanum Selimi filium Turcarum Impp. bellicoſiſſimos & liberaliſſimos.

V. Naſus *incurvus* eſt, qui ſub glabella in valleculam depreſsa incipit, & arcus inſtar flectitur, fronte in ſimilem convexitatem protuberante. Hanc formam caput galli gallinacei exquiſite refert, ut inſpicienti patebit. Libidinoſos notat & in quamlibet veneris enormitatem proclives. Silenos iſtiuſmodi naſo finxerunt olim, atque Satyros.

VI. *Craſſus in dorſo*, ad boves refertur. Argumentum ſegnitiei & ſtupiditatis. *Craſſus in extremo*, ſuum proprius eſt, & immunditiei hominem arguit. In mucoſum & obeſioris naſi hominem jactavit ſcomma hoc Cratinus Comicus: ὕλιζε τὰς ῥῖνας. Quod ſi ad craſsitiē naſi puſtulæ rubentes acceſſerint, qualibus potatores inſigniri ſolent, maximopere augetur turpitudo. Græcum vulgus credebat eas ex mendacijs ortum ducere: unde Ψεύσματα dicebantur. Propterea amaſius apud Theocritum indicaturus, de amica ſe nihil mentiturum: Non fore, inquit, vt naribus ſuis Ψεύδεα ſeu mendacia innaſcantur.

— Ψεύδεα ῥινὸς ὕπερθεν
Ἀραιᾶς ἐκ ἀναφύσω.

VII *Acutus in extremo* eſt, qui à dorſo progrediendo ſenſim attenuatur. Canibus tribuitur domeſticis, qui iracundi, & peregrinis latratu moleſti ſunt, aut morſu. Philocrati talis erat figura naſi, unde a Plauto tanquam iracundus introducitur.

VIII. Naſus *avicularis* eſt plane ſubtilis, in acutiſſimam deſinens extremitatem. Ad aviculas refertur, quibus roſtrum ſubtile: earundemque naturam inſtabilitate æmulantur, quibus naſus hujuſmodi contigit.

IX. *Rotundus cum extremo obtuſo*, cui dorſum rotundum, orbiculus obtuſus. Talis leonibus. unde jactantiæ index, & roboris.

X. Naſus *ſimus*, unde cognomina Simonum, & Silonum, ille dicitur, cujus dorſum plane depreſſum eſt, columna ante pinnas extante. Simijs datus eſt iſtiuſmodi, quorum apud Indos certum genus in fœminas tanto amoris ſtimulo fertur, ut in civitates non adducatur. Cervis non multum abſimilis, qui & ipſi certo tempore adeo venerę exardeſcunt, ut inſaniant. Plato in Theæteo Socratem ſimo naſo fuiſſe narrat, nec effugiſſe luxuriæ notam: id quod etiam de Ioanne Ruellio Gallo botanices peritiſſimo & magni nominis Medico aſſeverat Io. B. Porta l. c. Sunt qui credant, Horatio Cocliti id nominis obtigiſſe, non quod oculum alterutrum bello amiſerit: ſed quod naſus ipſi ſub fronte ita depreſſus, demiſſuſque erat, ut nullum fere inter oculos diſcrimen extaret, ipſaq; ſupercilia commixta inuicem, confuſaque fuerint. Cyclops itaque dum appellandus eſſet, corrupta loquendi conſuetudine factum, vt Cocles diceretur. Theophraſtus Ereſius in quendam Caſſandri amicum ſimis naribus hoc ſarcaſmo luſit: *Miror oculos tuos non canere, quia ipſis naſus additus eſt fiſtulæ ſpeciem præbens.* Plutarchus in Sympoſ. & Diog. Laertius *lib. v. cap. ij.*

Ad *nares* quod attinet, illis ſuæ quoque ſunt differentiæ. *Patulæ*, quales taurorum equorumque generoſorum, fortitudinis & alacritatis indicinæ ſunt. *Strictæ*, anguſtæ, piloſæ, rotundæ neutiquam probantur. Adeoque naſus ille erit laudabilis, qui modeſta longitudine & latitudine à fronte paullatim deſcendendo aſſurgit, foraminibuſque mediocriter patulis ac depilibus terminatur.

CAP. XVII.

CAP. XVII.

Symmetria labiorum, & menti.

E Partibus faciei anticis reſtant *labia* atque *mentum*, adeo coniuncta, ut videri una pars poſſit, unicoque proferenda nomine, ſi ſuppeteret. Apparet etenim, & præcipue in ridentibus, ruga circularis, à pinnis narium per genas deorſum ſub mentum ducta, ſeparans partes adjacentes à labijs atque ipſo mento. Filo ſi complectaris hunc circulum, decem æquabit uncias: ſin anthropometro diſtātiam eius à narium columna ad menti apicem explores, unam tertiam habebit totius faciei longitudinis. Rictus Iuvenalis *Satyr.x.* & Martialis *lib.iij.* videri poſſet, qua voce eam faciei partem deſignārunt, quæ in homine ridente aut ringente lineis quaſi terminatur. Græcis σέσηρος vocata eſt, à σαίρειν, quod eſt, os in rugas diducere. Atqui, num *rictus* vocabulo mentum ſimul comprehenderint auctores iſti, incertum eſt. Vnde nos auctoritate deſtituti, receptis uti nominibus, & de labijs, mentoque ſeorſim agere cogimur.

LABIA, aut labra Homero eleganter ἕρκος ὀδόντων, ſeptum dentium dicuntur, quorum deformitatem valli inſtar contegunt. Termini labiorum quatuor ſunt. Surſum, columna naſi: infra, menti confinia: utrinque genarum circulus, in ridente magis conſpicuus. Dividuntur labia in ſuperius & inferius. Vtrumque ſua conſtat parte rubente, quæ proprie *labium*: & non rubente, quæ recentioribus *prolabium* nuncupatur. Pars rubens pilos produxiſſe nunquam viſa eſt: prolabium in viris barbam emittit. Portiones barbæ, quæ in prolabio ſuperiori, utrinque creſcunt, myſtaces nominant: Iuvenalis alas, ſimilitudine ab avibus deſumta. Eas lacuna intercedit imbricata, quam φίλτρον Pollux atque Ruffus Epheſius, quaſi amoris illicium, ſulculum alij appellant. Prolabio inferiori quæ innaſcitur barba, generis nomen retinet: niſi ad imitationem Iuvenalis, caudam vocare placuerit.

Labia ſi committuntur invicem, eam figuræ ſpeciem repræſentant, quam Græci πρόσωπον, quaſi *anteos* dixerunt, angulis utrinque fi-

nitum: ſin diſjungantur, *Oris* formant hiatum, in varias mutabilem figuras. Sunt quibus ex conſuetudine perpetuo labia, ſtultitiæ celebrato argumento, hiant: ſunt quibus dormientibus ſaltem id accidit. Nonnullis labia convelluntur, vnde variæ oris torturæ, ſeu ſpaſmi ortum ducunt. Sic loquentibus indeſinenter oris forma mutatur, præſertim ſi cum fervore ſermo fiat. Ore diducto dentes apparent, gingivæ, lingua, palatum, columella: quorum membrorum explicatione tanquam ab inſtituto noſtro alieniore ſuperſedeo. De dentibus tamen obſervandum, ab ipſorum diverſa commiſſione variari ſitum menti atque labij inferni. Mordendo enim ſolum æqualiter committuntur ſuperiores inferioribus: alias extant aut ſuperiores occultatis pene inferioribus, aut inferiores tectis parumper ſuperioribus. Illud magis naturale: hoc minus, quia mentum nimis exſeritur.

Labia alijs ſunt craſsa, unde labeones, labrones, ac chilones nominantur, qui plerumque inſipientes & hebetes. Alijs tenuia, quæ facundiam, ſed & fraudes ac impotentiam denotant. Ratione coloris, livida aut pallida non tantum pravam valetudinem: ſed pravos & invidos mores deſignant. Color roſeus aut purpureus optimus. In quem ſenſum dicebat Apulejus: *Olli purpurea delibantes oſcula, clemente morſu roſea labella vellicant*. Inſuper labia oportet eſse æqualia, & æqualiter ſibi invicem commiſsa. Quod ſi ſuperius prominet, hi prudentiores Adamantio judicantur, & ad alcem referuntur à Porta *lib.ij. c.xix.* cui adeo propendet labrum ſuperius, ut niſi recedens in poſteriora veſtigia, paſci non queat, teſte Solino. Pauſanias ſagaciſsimum animal eſse dicit, & hominis odore per longinquum intervallum percepto in foueas & profundiſſimos ſpecus ſe abdere. Aeſopus tumenti & prominulo labio pingitur, & prudentiæ laudem fabulis ſuis meruit. Leoni exilia labia in ore magno, ſuperiore tamen extante; vt & canibus venaticis ac moloſſis: hinc quibus ſimilis conſtitutio iſtarum partium, magnanimi exiſtimantur, ac fortes. Sin inferius labrum promineat, præcipue cum craſſitie, velut aſinis, ſimijſque: hi fatui, imbecilles & flagitioſi. Quibuſdam à natiuitate labia bifida ſunt ac biſulca, ad morem leporinorum labiorum: id quod vitium periti manus Chirurgi emendare valet.

Ipſa autem labiorum commiſsura ſeu *proſtomium*, alijs longum eſt, alijs arctiſſimum, alijs modicum. Os magnum bellicoſi, & audacis

indi-

iudicium Auctori l. ad Alexandrum. Valde tamen diſſectum os, quaſi ſcarietibus, ſtolidi, atque impij hominis ſignum. Os anguſtum effœminatum oſtendit, cum & Helenam puſillo ore fuiſse Dares memoret. Medium hic, ut ubique, optimum. Exit per os anima ſeu halitus, cujus odor in hominibus perfecte ſanis aut bene olet aut ſaltem non male: in quibuſdam impuriſsime fœtet, nec levi pravorum morum argumento. Eius rei exemplum ſit Aemylius, in quem Catullus ſequenti epigrammate invehitur:

Non, ita me dij ament, quicquam referre putavi
Utrum os an culum olfacerem Aemylio.
Nil immundius hoc, nihil eſt immundius illo;
Verum etiam culus mundior & melior.
Nam ſine dentibus eſt; hoc dentes ſeſqu pedales,
Gingivas vero Ploxemi habet veteris.
Praeterea rictum, qualem defeſſus in aeſtu
Mejentis mulae cunnus habere ſolet.

Menſura labiorum talis eſt. Si filum per circumferentiam labiorum uniuerſam ducas, viij. id æqnabit uncias. Proſtomij vero ſolius longitudo ab angulo uno ad alterum, ſi circino capiatur, binarum erit unciarum. Spatium à narium columna ad medium proſtomium unciam unam fere habet, ſimiliſque ad menti initium menſura.

MENTVM ab eminendo dictum volunt, quod à gula emineat: aut à *memento*, quod ejus inter recordandum aliquis uſus eſſe videatur, ſicut occipitis, quod ſcalpi quibuſdam ad excitandam reminiſcentiã conſuevit. Suſtinetur ab acie maxillæ inferioris, quæ in alijs latior, in alijs magis acuminata: quam varietatem menti diverſa ſequitur forma. Etiamſi enim mentum ſemper rotunditatem aliquam præ ſe fert: tamen ea nunc major, nũc minor eſt. Hinc acutũ penitus mẽtum quibuſdam, & iſti in iracundiam propenſi judicantur: nonnullis orbiculare eſt, animi effœminati indicio. Alijs latinſculum, foveaq; impreſſa ornatum, quæ ſi levis fuerit, laudabiles & gratioſos mores ſignificat: ſin altius exculpta, ut mentum quaſi duplex appareat, non probatur. Iulio Polluci τύπος, typus nuncupatur. Præterea mentum quibuſdam majus ita, ut labijs decedat tantum, quantum ipſi adijcitur. Hi ad mulieres referuntur, quæ non malæ ſunt, ſed loquaculæ tamen & dicaces. Eſto igitur mentum laudabile nec bifidum nimis, nec acutum, nec quadratum, nec orbiculare penitus; ſed in-

ter hæc omnia medium ſervans. Suadet hic loci commoditas, ut de barba menti decore verba faciamus: verum & capillorum & barbæ creſcendi indeterminata libertas, cum ſub rationem ſymmetriæ nullo modo cadat, alienæ iſthæc curæ committimus.

Menti ſymmetria exploratur anthropometro, vel filo. Illud mento unciam unam tribuit, aut paullo plus: ita tamen ut ſpatium à narium columna ad menti apicem trium ſemper unciarum ſit, quantumque labia deficiant, mento accedat. Videntur enim hæ particulæ eſſe ex acervo proportionum ἀῤῥήτων, ut loquitur M. Aurel. Severinus *Zootom. Democrit. part. ij. c. xxij.* Filum à labijs per mentum deorſum ad bucculam uſque ductum, binas continet uncias: tranſverſim vero per marginem maxillæ inferioris, binas cum dimidia, quæ eſt gemina menti latitudo: toti mento circumdatum octo uncias exhibet; adeoq; æquales ſunt peripheriæ oculorum, labiorum, ac menti.

Conferatur Cornelius Giradellus *decade vi. & vij.* quibus differentias labiorũ ac menti affabre pinxit, ut & Io. Bap. Porta *l. ij. Phyſiogn. human. c. xi. xij. & xx.* Venuſtam proportionem pollicis ad labia & mentum propoſuere Petrus Meſſias Hiſpanus *in Sylva variar. lect.* & Hieronymus Montuus *Practica Medicinæ part. v. c. vij.* Si enim pollicem ita labijs mentoq; applicemus, ut apice columnam contingat, ſentiemus procondylum medio quadrare proſtomio, condylum ad ſummum terminari mentum.

CAP. XVIII.

Symmetria genarum.

PArtes faciei laterales duplices ſunt: Genæ, & Auriculæ. GENAE vocabulum ambiguum. Priſcis palpebræ erant, recentiorum quibuſdam cum malis confunduntur. Nos genarum nomine intelligimus totam illam faciei partem, quæ oculis ſubeſt, & intra aures ac naſum ad mentum uſq; & laryngem extenditur. Ex Græco γένυς nomen accepiſſe videtur, non à generandis pilis, qui genis innaſcuntur: nec quod per ipſos genera marium fœminarumque, & qui perfectæ ætatis atq; imperfectæ ſunt, diſtinguantur, ut habet

Caſp.

Caſp. Bauhuinus *l. de ext. part. cap. vi.* Frivolæ enim hæ ſunt alluſiones, non etymologiæ.

Simplex apparet hæc pars ex ſe, ſed ex uſu auctorum duplex eſt. Diuiditur enim & Hippocrati, & Ariſtoteli *lib. Phyſiognom.* in ſuperiorem, cui ſuperior maxilla: & inferiorem, cui inferior ſubjacet.

Superior ſpeciali nomine apud Græcos μῆλα, Latinis *Mala*, quoniam mali inſtar ætate florente rubet, appellitatur. Hippocrati *κύκλος προσώπου*, circulus faciei, quod os proceſſus Zygomatici eminentiam, quæ rotunditate ſua circulum æmulatur, efformat. Pudoris ſedem Plinius in ipſa locabat, quod erubeſcentibus mala cumprimis ſanguine ſuffuſo coloretur. *Malas & naſum*, inquit Galenus *l. x. de Uſ. part. cap. xiv. natura pilorum expertia ac nuda reliquit. Sylveſtris enim eo modo ac fera facies tota fuiſſet, hautquaquam animali manſueto ac politico conveniens.*

Inferior genæ pars, quæ mandibulæ reſpondet, labijs compreſſis inflari ſpiritu poteſt, & *bucca* proprie dicitur Horatij & Perſij auctoritatibus. Hic ſono quoque, qui ex inflatis buccis prorumpit, fictitium Scloppi nomen indidit *Satyr. v.*

Nec ſcloppo tumidas intendis rumpere buccas.

Sunt, quorum bucca inter ridendum foueam oſtentat, quam Veneris umbilicum appellant. Martiali gelaſinus dici videtur *l. vij. epigr. xxjv.*

Nec tibus ipſe juvat morſu fraudatus aceti:
Nec grata eſt facies, cui gelaſinus abeſt.

Protenditur bucca ad laryngem & mentum uſque, ubi dextræ cum ſiniſtra ſit coniunctio: quæ pars in macilentis plana eſt, in carnoſis protuberat, & à Suetonio *buccula* videtur appellata. Bucca in viris, quo venerabundi magis apparerent, magno pilorum proventu ornatur, in fœminis rariſſimo & peſsimo exemplo. Lanugo tamen pleriſque non deeſt eminus inconſpicua: unde duodecim tabularum interdicto nefas eſt, radi genas fœminarum, auctore Plinio *lib. xj. c.* 37. Cui conſentit Cicero 1. *de Legibus*, dum ait: *Mulieres genas ne radunto.*

Menſurantur genæ filo hac ratione. A trago ad pinnam naſi quinqueunciæ intercipiuntur. A prominentia malæ dextræ ſi filum per bucculam ducatur ad prominentiam alterius, illud ſpatium xij. oportet eſſe unciarum. Ab hac proportione ſi recedatur, oriuntur variæ

gena-

genarum formæ. Craſſæ & carnoſæ inertiam vinolentiamq; denotant: immo omnis vultus plenus & craſſus, ſi Portæ credimus *l. ij. Phyſiogn. human. c. p.* ignarum & voluptatibus deditum ſignificat. Graciles, quales æluris ac ſimijs, vafritiei, inuidiæ & rapacitatis indices. Rotundæ doloſos, oblongæ nugaces monſtrant Ioanni Padovanio Veronenſi *lib. De ſingul. hum. corp. part. ſignific. cap. viij.* Genæ contractæ in triſti facie, ſtultitiæ: in hilari, certum adulationis ſignum. Plura vide apud Phyſiognomonicos, qui docent, genas hominis Europæi bene temperati & commenſurati nec nimis carnea mole prominere, nec macie ſtrigoſas eſſe: ſed modico tumore elevari, cute ſuperinducta albicante, quæ rubore ſanguineo eleganter ſit perfuſa, ut ebur purpura tinctum videatur. Sic Homerus Iliad. *vj.* verſ. 141.

Ὡς δ' ὅτε τίς τ' ἐλέφαντα γυνὴ φοίνικι μιήνῃ
Μῃονὶς, ἠὲ κάειρα, παρήϊον ἔμμεναι ἵππων.

Id expreſſit Virgilius *l. xij. Aen.* de genis Laviniæ lachrymantis;

Accepit vocem lachrymis Lavinia matris
Flagrantes perfuſa genas, cui plurimus ignem
Subiecit rubor, & calefacta per ora cucurrit.
Indum ſanguineo veluti violaverit æſtro
Si quis ebur, vel miſta rubent ubi lilia multa
Alba roſa: tales virgo dabat ore colores.

Lucianus in Dialog. candorem faciei neutiquam laudari teſtatur, *ἢν μὴ ἐπιτρίπῃ αὐτῷ καὶ τὸ ἐρύθημα*, niſi rubor admixtus eam ornaverit. In puellis ſuis colorem hunc genarum paſſim extollunt Ovidius, Tibullus, Propertius, alij, quorum verſus huc ſingulos transferre longum foret.

CAP. XIX.

Symmetria auricularum.

AVriculas rectius partes, aut ſaltem terminos eſſe faciei, quam capillitij, ſuperius oſtenſum fuit: in preſenti, quæ ad ipſarum ſymmetriam ſpectant, expendenda veniunt.

Aures ab audiendo aut hauriendo ſono dictas volunt; cum ſint auditus

ditus organon, non tamen ſpirationis, quod de capris credidit Alcmæon apud Ariſt. *l.1. Hiſt. Anim. c. xi.* Sunt autem totius organi duæ portiones. Interna admirandis tornata gyrulis intra cranium latitat, & proceſſu continetur petroſo: cujus conſideratio aliorſum pertinet. Exterior oculis patet, & ſpeciatim *auricula*, nec tamen diminutiva vocis ſignificatione dicitur.

Loco corporis eminenti ſitæ ſunt auriculæ, & quidem in eodem cum oculis orbe, *Ariſt. l. c.* ad ſonum facilius recipiendum, qui teſte M. Tullio *lib. ij. de Nat. deor.* in ſublime ſua natura fertur. Præterea non anterius ipſas natura locavit, ſicut oculos: quoniam non modo in directum audire, ſed & undiq; debebamus, Ariſtot. *lib. ij. de part. anim. c. x.* Cartilagineæ factæ ſunt, ut flecti valeant. nam ſi oſſeæ rigidæq; forent, pileo aut galea commodo non uteremur: ſi carneæ penitus ac pendulę, vocis ingreſſum liberũ ſibi ipſæ præcluderent. Immobiles ſoli homini putat Ariſtoteles *l. 1. Hiſt. Anim. c. xi.* Galenus tamen exiguum quendam atq; obſcurum motum ipſis non negat *l. xi. Vſ. part. c. xij.* Binæ numero factæ ſunt, quo læſa una frui altera queanus, tanquam membro ſumme neceſſario, & quod ad tutandum animal ſemper pateat, etiam dormitantibus oculis. Reminiſcentiæ conſecratæ ſunt ab antiquis: unde familiaribus aures vellebant admonitionis ſpecie, id quod à Cynthio ſibi factum prædicat Virgilius Eclog. vj. Sceleratis aures abſcindere leges jubent, ut vitandorum flagitiorum recordentur: quam conſuetudinem vetuſtam eſſe patet ex Homeri Odyſs. *xviij.* vbi Antinous minatur, Irum à ſe miſsum iri ad Echetem regem,

Os κ' ἀπὸ ῥῖνα τάμῃσι καὶ ὔατα νηλεῖ χαλκῷ,
Μήδεα τ' ἐξερύσας δώῃ κυσὶν ὠμὰ δάσασθαι.
Qui nares ipſi ferro truncabit & aures,
Crudaq; projiciet canibus reſciſſa pudenda.

Eandem pœnam luit Melanthius ex grege procorum, ob facinora in aula Penelopes abſente Vlyſſe patrata, *Odyſs. xxii.* Pie vero, an impie ab eodem Homero *Iliad. xxi.* fingatur Laomedon minatus Neptuno atq; Apollini ob poſtulatam mercedem, utriuſq; aures à ſe ferro abſciſſum iri, judicent alij.

Partes habent auriculæ tanto artificio cælatas, ut Galenus *l. 1. c. xiij.* de pulchritudine & ornamentis, quæ natura membris præter utilitatẽ neceſſariam ſuperaddidit, verba faciens, excavatos concinne

auricularum anfractus exempli loco proponat: comparando naturam artifici, qui phialæ confectæ aut hederam, aut vites flexuoſas, aut cypariſſum ad oſtentandam peritiam inſculpit. Ariſtoteles *l. 1. H β. Anim. c. xi.* Ωτὸς δὲ μέρος, inquit, τὸ μὲν ἀνώνυμον· τὸ δὲ λόβος, Auris pars altera innominata, altera lobus. Gaza paraphraſtice reddidit: *Auris pars exterior, cui nomen auriculæ, parte conſtat ſuperiore, Pinna: inferiore, Fibra.* Quæ tamen vocabula vix obſeruantur hoc ſignificatu ab alijs ſcriptoribus uſurpata, cum plerę q; partium illarum nomenclaturæ valde ſint obſcuræ & incertæ. Nos ſecuti diligentiam Anatomicorum, in latere auricularum interno ſeptem numeramus particulas, quæ ſua flexione in externo latere alias quidem, ſed anonymas formant. Sunt autem tres illarum claſſes: eminentiæ, cavitates, appendices. Eminentiæ duæ ſunt, Helix, & Anthelix. *Helix* eſt circulus ille externus, qui ex Concha ortus totam fere auriculam ambit, & ad lobum terminatur. *Anthelix* ipſi oppoſitus in eadem Concha, ſed ſub Helice occultatum initium ſumit, & circumlatus prope lobum finitur. Cavitates ſunt totidem: *Innominata* ab utraq; eminentia ſepitur, *Concha* introrſum vergit ad meatum auditorium, in cujus principio cerumen, ſeu ſordes flavæ colliguntur. Appendices ternæ ſunt: duæ duriuſculæ, mollis unica. Quæ temporibus adhæret, *Tragus* & latine hircus dicitur, quod interdum pilis emiſſis barbulam hirci imitetur. Ei opponitur *Antitragus*, facto quaſi ſulco inter utrũq;, qui ζευχίρ Herophilo dicebatur. *Lobus* denique ima auriculæ pars, qua nihil in humano corpore lentius aut flexibilius, cum nec oſſe rigeat, nec cartilagine aut nervis intendatur. Vnde in proverbium abijt: *Auricula infima mollior.* Ciceroni *lib. ij.* ad Quintum F. anſa auriculæ, Iulio Polluci in Vocabulario τέττιξ nominatur, quod Athenienſium indigenæ cicadas ea parte in libertatis ſignum, perinde ut noſtrates fœminæ elenchos margaritaſve appendere ſolebant. Arabum mulieres ingentibus annulis aures detrahere, immo in narium pinnis quoque eos geſtare, refert venerandæ Vir memoriæ Ioa. Veſlingius *Syntagm. Anatom. cap. xvj.*

Hæ partes auriculam conſtituunt, cuius menſura circino aut filo capitur. Circini pedem unum ſi ſummæ auriculæ parti applices, altero ad lobi extremitatem uſque extenſo, longitudinem trium fere unciarum in corpore bene proportionato invenies: latitudo à tragi radice ad medium helicem, duarum erit unciarum. Filum in

auricu-

auriculæ ambitu circumtenſum, uncias æquabit octonas.

Contra quam proportionẽ quæ peccant auriculæ, vitioſæ ſunt. *Magna* notant bonam memoriam Auct. ri lib. ad Alexandrum, ſed ſimul fatuitatem, præſertim ſi flaccidæ pendeant: unde Flacci cognominati. Sed & arrectæ ultra modum, ſtultitiæ indices ſunt. *Ariſt.* 1. *Hiſt. Anim.* xj. Spectabiles hac parte ſunt aſini, quare Perſius:

Auriculas aſini quis non habet?

Hinc ſtolidis aut ex inertia delinquentibus auriculas aſini oſtendere ſolent, quas imitantur protenſis indice & auriculari digitis. Ad quod alluſit idem:

O' Iane, à tergo cui nulla ciconia pinſit,

Nec manus auriculas imitata eſt mobilis albas.

Decantatæ ſunt Midæ regis Phrygij aſininæ auriculæ, itemq; Faneſiorum ſive Sacmalorum, ut Pomponius Mela vocat. Iſtis enim gentibus auriculæ in tantam magnitudinem excreſcunt, ut totum corpus ijs veſtium modo contegere valeant. Strabo ipſos ἐνωτοκοίτας appellat, quoniam auribus inter dormiendum ſtrati vice utuntur. Idem recenſet Plinius *l. jv. Hiſt. Nat. c. xiij.* *Parvæ*, quales ſimijs, malignos, libidinoſos, fures & veteratores indicant Philoſopo, tum lib. Phyſiogn. tum l. ad Alexandr. In ſtatu morboſo aures frigidæ, pellucidæ, contractæque perniciem minantur, Hippocrati *Sect. ij. Coac. prænot.* 192. *Longæ* & anguſtæ invidiam, *rotundæ* indocilitatem arguunt. *Infractæ* ſeu parum exculptæ, cuiuſmodi capris tribuit Plinius, imperfectionis & ſtupiditatis notæ. *Exculptæ*, docilitatem ſignificant, cum curioſam formatricis operam oſtẽdant: immo quo magis imbricatæ quaſi grundis, intuſque anfractu longiore intortæ, eo melius auditum adminiſtrant, teſtimonio Philoſophi *l. v. de gener. anim. c. ij.* Sic à levitate aut piloſitate auricularum, præſcita quidem morum haberi negat idem *l. j. Hiſt. anim. c. xj.* ad audiendum tamen aptiſſimas eſſe, quæ medium inter utramque tenent.

Auriculæ itaque laudabiles, quantitate ſunt mediocres, nec oblongæ nimis, nec nimis rotundæ, hirſutæ parum, & quæ capiti decenter applicantur. Iſtiuſmodi Auguſto Imp. fuiſſe ex Suetonio colligitur, cum mediocres ipſi aures attribuat. Atque hæc de capite, eiuſque ſingulis partibus.

CAP. XX.

Symmetria colli.

COllum à colendo Grammatici nominatum volunt, quod hæc præcipue pars torquibus ornetur, ac monilibus. Cervix etiam, ſed dubia ſignificatione appellatur: quin immo plurimæ colli particulæ incertis obnoxiæ titulis. Itaque nos ſepoſitis illis, quæ circa etymologias verſantur, controverſijs, ex rebus ipſis rerum petemus nomina.

Collum ergo vocamus, *quod inter pectus & faciem eſt*, ut loquitur Philoſophus j. *Hiſt. animal. xij.* ſeu partem illam teretem, quæ à thorace ſuſtinetur, caput ipſa ſuſtinet. Quorſum igitur referendum ſit, in controverſiam venit. Vertebrarum continuata ſeries ad thoracem pertinere ſuadet: proportionis ratio capiti adjudicat, ne quid dicam de pulchritudine, quæ ex coniunctione utriuſque partis oritur, cum caput abſque collo videre ſubturpe ſit. Diuiditur collum in partem anteriorem, poſteriorem, & laterales geminas.

ANTERIOR pars ἀνθερεὼν, Ariſtoteli λάρυγξ, Gaza guttur interpretatur, etſi & hoc verbum ambigui ſit uſus. *Guttur* ex inſtituto noſtro in nodum & jugulum dividemus. *Nodus* à capite aſperæ arteriæ ſeu larynge formatur, & ſi nimis protuberet, joculariter Pomum Adami nuncupatur. *Iugulum* cædis locus, eſt lacuna illa, quæ ad clavicularum conjunctionem, adiuvantibus muſculorum maſtoideorum tendinibus effingitur.

POSTERIOR colli pars *ceruix* vocatur, quæ ab occipite initio ſumto ad proceſſum ſpinatū ſeptimæ colli vertebræ pertingit. Imbricata hæc pars apparet ob muſculorum utrinq; adjacentium eminentiam, unde cavum ſeu fovea cervicis vocatur, barbaris etiam nucha. Et quoniam in motu capitis tenditur, tendo quibuſdam dicta fuit, auctore C. Bauhino *l. de extr. part. c. jx.* Interpres Homeri ad Iliad. ί. τὸ κοῖλον τοῦ τένοντος, cavitatem tendinis vocavit.

LATERALES partes anonymæ ſunt apud Latinos, Galeno ἐπωμίδες

rum.

com. j. *in lib. de oſ.* & Ruffo Epheſio *l. de part. h. m. nomencl.t.* Exortæ pone lobum auriculæ ad tuberculũ proceſſus mammiformis, ubi parotidum ſedes, deorſum ad ſummum humerum, quo loco claviculæ acromijs committuntur, excurrunt.

Partium harum ſymmetriam exploraturus, duplici iterum via erit progrediendum. *Anthropometron* homini debite locato anterius & poſterius applicatum, duas monſtrabit gutturis & quinque cervicis uncias, adeo ut caput cum collo ſextam totius corporis partem adæquet. Quod ſi homo non recta proſpiciat, ſed verſa in cœlum facie, elongabitur guttur ad uncias quatuor, & è regione cervicis longitudini binæ adimentur. Latitudo colli ſeu diameter parte ſuperiori, qua capiti adhæret, quatuor unciarum eſt: inferior, qua brachijs & thoraci committitur, denarum. *Filo* ad epomidum menſurationem utitor, quarum extenſio à parotide ad humerum ſeptem æquabit uncias. Circumferentia colli integri ſub larynge, pedis eſto unius, & duarum unciarum.

Ex hac commenſuratione manifeſtum evadit, quid collum craſſius aut tenuius, longum aut brevius ſit. *Craſſum*, ſine tamen vaſtitate, roboris indicium ſtatuitur, exemplo leonum ex Ariſtotelis *l. Phyſiogn. c.* vj. unde Hippocrates vj. *Epid.* j. de capite acuminato præditis ſermocinatus: *Si validam, inquit, cervicem hab.nt, robuſti erunt tum quoad alia membra, tum oſſibus.* Quales enim ſunt colli vertebræ: tales & thoracis, & lumborum, & oſſis ſacri, ſi quidem natura proportionis leges obſervavit, eſſe conſueverunt. Atqui & muſculos tum oportet eſſe magnos, ut movendis oſſibus magnis pares eſſe poſſint. Magni muſcu i requirunt magna vaſa, quibus ſibi & ſpiritus & alimentum ſubminiſtrentur. Vnde conjectura ſapienti colligitur, robuſtum collum totius corporis indicare robur. Conſtantino M. tale fuiſſe Zonara refert, cum latis humeris: inde cervicoſus dictus. Hi iracundia incitati taurorum æmulantur impetum, quem reprimere nullus metus potis eſt. Craſſities tamen colli, quæ non ab oſſium firmitate aut toris muſculorum compactis, ſed à nimia pinguedine, velut in ſuibus, proficiſcitur, ſtolidum hominem, ſordidumque gulonem arguit. Claudius Cæſar opimis fuit cervicibus, & maxime ignarus: quamobrem Antonia mater ejus dicebat, ipſum hominis portentum eſſe, inchoatum à natura, non abſolutum. Neroni quoque obeſa cervix, ex Suetonio.

Collum *tenue*, quale cervis, imbecillitatem exemplo Polyxenę apud Daretem: ſed una ingenij acumen, Tullij exemplo ſignificat, qui collo tenui, corpore infirmo, at ingenio fuit ſubtiliſſimo. Quod ſi *gracile ſimul, & longum* fuerit, cujuſmodi aviculæ oſtentant, id timiditatē garrulitatemq; deſignat, exēplo C. Caligulæ, quem Suetonius gracilitate maxima fuiſſe cervicis & crurum refert. Erat autē nimium pavidus & vitioſus, & adverſus barbaros cum trans Rhenum iter faceret, dicente quodam, non mediocrem fore conſternationem, equum conſcendit, & moræ impatiens aufugit. Mirum quod Plinius obſeruavit *l. xi. c. iij.* longa crura eſſe, quibus longa colla. id in ciconiis, gruibus, ardeis, cervis & in hominibus quibuſdam verum experimur. Iſocrates *in Panegyrico Helenæ*, ipſam ſcribit exiſtimatam ab olore genitam, quod collo eſſet oblongo & candido. *Virginum collum* poſt primæ noctis venerem craſseſcere, vetus fama eſt: unde collata utriuſq; diei menſura, qualem ſponſus ſe geſſerit, divinare auſint. Meminit hujus rei Camillus Baldus *com. in Ariſt. Phyſiogn. part. jv. apotelesm. xxxv.* Spigelius *l. j. de hum. corp. fabr. c. vij.* ad totum corporis habitum id referendo, ſcribit: *Inter fœminas virgines graciliores fere ſunt, quia poſt congreſſum craſſiores evadunt, venis univerſi corporis in complexu venereo à calore exagitato dilatatis, id quod ſpatio vel unius diei poſt coitum ſtatim advertere licet.*

Collum *breve*, quale lupis, hyænis, accipitrumque generi, calliditatem, inſidias ac rapacitatem indigitat: vitia ſcilicet, quibus beſtiæ iſtæ obnoxiæ ſunt. Collum *fixum*, obſtipum, atque ita erectum, quaſi per corpus veru eſſet adactum, ſuperbiam & contumaciam oſtendit: *fractum* vero, oppidoque inclinatum, hominis ſimplicis & cogitationibus occupati argumentum. Laudatur *leviter inclinatum*, quale Meſſiæ noſtro Nicephorus *l. j. c. ult.* fuiſſe prodidit: *Collum*, inquit, *ſenſim fuit declive, ita ut non arduo, & extento nimium corporis ſtatu eſſet*. Si ad dextram parum inclinet, veluti Alexandro Macedoni, referente Plutarcho in ejus vita, prudentem ſtudioſumque ſignat: ſin ad lævam, indicium id eſſe volunt adulterijs dediti.

Præterea *nodus gutturis* nimis protuberans, hominem ſapientem quidem, & ſublimia meditantem: ſed ſuſpicacem ſimul, & quandoque difficilem, bibacemque indicat. In fœmellis prorſus improbatur. *Cervix aſpera*, ſeu cujus ſpinæ valde prominent, aſperis mo-

ribus,

ribus præditum, iniurioſum, inſolentemque, relatione ad apros ſa-ctæ, denotat.

Denique ut, quæ hactenus dicta ſunt, luculentiora evadant: capitis cum collo ſymmetricam effigiem, qualis in plano exhiberi poteſt, hic omni ex parte, ſi placet, intuere.

Caput cum collo Symmetricum, parte anteriore, laterali et poſtica.



CAP. XXI.

Symmetria brachij.

COllum thoraci & brachio annectitur; unde, utrius ſuſcipienda tractatio prius ſit, dubium. Receptus Anatomicorum ordo artuum expoſitionem poſt abſolutas tres corporis cavitates quas vocant, non ſine ratione inſtituit: imitantur hos plerique eorum, qui Anthropologias conſcripſere. Ariſtoteli in Phyſiognomonicorum libello, ubi præſcita hominum ex membro-

rum

rum ſignis collecturus erat, à pedibus ordiri placuit, & inverſa ſerie ad caput aſcendere. Nobis, quibus ſymmetria membrorum primario propoſita, ſymmetra magis viſa fuit illa methodus, qua corpus & in uniuerſum, & membratim, à capite ad calcem deſcendendo, menſuratur. Hanc ne deſerere videamur, aut ab abdomine aſcendere denuo cogamur, maxime opportunus erit hic locus explicandæ proportioni brachij: quo poſtea non interrupto ordine per thoracem, abdomenque ad pedes provehamur.

Nominum, quibus artus ſuperiores, eorundemque partes inſigniuntur, maxima eſt confuſio tam apud Græcos, quam Latinos auctores. Totum membrum ab Ariſtotele βραχίων, à Galeno ſæpiſſime χείρ, Gazæ ulna interdum dicitur. Confer Caſparis Hofmani commentaria in Gal. *l.* 1. *de uſu part. num.* 15. Nos Celſum ſecuti *brachium* vocabimus, dividemuſque in tres partes tribus junctas articulis.

Prima & maxima pars Ariſtoteli ἀγκών, Galeno βραχίων, Humerus Celſo, Gazæ Agilis nominatur. Nos cum Ovidio LACERTVM dicemus, qui *lib.* 1. *Metamorph.* quaſi partes brachij carmine complexurus, ita canit:

—Laudat digitoſque, manuſque,
Brachiaque, & nudos media plus parte lacertos.

Lacerti articulus ſuperior, quo ſcapulæ & clauiculæ committitur, Philoſophi ὦμος eſt, Humerus Plinij. Fortes ſunt, quibus lacerti toroſi & compacti adeo, ut muſculi colliculorum ritu inter quaſdam quaſi valleculas non nihil aſſurgant. Maro *l.* v. *Æn.* nautis tales videtur aſſignaſſe, dum ſcribit:

—Ferit æthera clamor
Nauticus, adductis ſpumant freta verſa lacertis.

Milos Crotoniates, cum jam ſenex eſſet & athletas ſe curriculo exercentes videret, aſpexiſſe lacertos ſuos dicitur, illacrymanſque dixiſſe: At hi quidem mortui. *Cicero in Cat. maj.* Refert Io. B. Porta *l. ii. Phyſiogn. hum. c. xxxvii.* tam toroſis artubus fuiſſe Georgium Scanderbegum ut ponderoſo acinace, quo utebatur, medios hoſtes ad umbilicum proſcinderet, ſæpe tranſuerſos divideret, aut per cervices cum humeris brachia detruncaret. Tam immanium vulnerum organon videre geſtiens Mahometes Turcarum Imp. impetravit, ut gladius Byzantium mitteretur.

Alte-

Altera pars brachij CVBITVS eſt Gazæ, πῆχυς Ariſtotelis, ὠλένη aliorum: Celſo aliquando totius nomine brachium dicitur. Committitur cubitus humero ſuperius quidem per articulum, qui ἀγκὼν Hippocrati, Ariſtoteli ὠλέκρανον, quod Gaza gibber interpretatus eſt. Inferius manui dearticulatur interventu oſſiculorum octo, quæ coniunctim à Græcis καρπὸς, à Latinis brachiale dicuntur. Habet & ſuos toros cubitus, præſertim in viris robuſtis, unde quæ de lacerti fortitudine paullo ante dicebantur, huc etiam cæteris paribus quadrant.

Tertia pars MANVS eſt, Ariſtoteli χεὶρ, Galeno ſæpius ἄκρα χεὶρ, ex quo alij compoſito nomine ἀκρόχειρον & ἀκροχειρὶς fecerunt. Manus dirimitur in palmam & digitos. *Palmæ* latus internum carnoſum eſt, & vola dicitur: externum nervoſum aut tendinoſum potius, dorſum vocatur. Pars carpo confinis, radix eſt: vicina digitis, finis. Latus ſuperius inter pollicem & indicem, Ruffo Epheſio θέναρ: inferius Hypothenar vulgo, aut Percuſſio, quod manu in pugnum contracta, hac parte percutimus. *Digiti* numerantur quinque. ſedigiti enim monſtri quid alunt. Pollex, quem Græci ἀντίχειρα, quaſi promanum appellant. Index ab officio noto vocatus fuit, unde Horatius:

Pulchrum eſt digito monſtrari, & dicier: Hic eſt.

Medius, qui quod cynædis à pædiconibus monſtraretur, impudicus & obſcenus audit. Annularis, quem annulis geſtandis conſecrarunt Anatomici Aegyptij, quod ad ipſum à corde nervum ſingularem immediate propagari falſo credebant, referente Appione apud Gellium *l. x. c. x.* Minimus, etiam auricularis ab uſu vocatur, cum ejus ope in cerumine expurgando utamur. Digitis ſingulis terni ſunt articuli ſeu nodi, quos ex Græco recentiores vocarunt Metacondylos, Condylos, & Procondylos. Illi palmæ committuntur, iſti medij ſunt, hi unguibus vicini.

Diſtributo in ſuas partes brachio, ad ſymmetriam inquirendam progrediamur. *Brachij totius* longitudo triginta unciarum eſt, ab humero ſcilicet ad apicem medij digiti: adeoque naturaliter ad genua non pertingit, licet Phyſiognomonici tam longa brachia crediderint non tantum eſſe indicia fortitudinis cum quadam regnandi cupidine conjunctæ, ſed & liberalitatis. Sunt qui arbitren-

tur Alexandro M. talia fuiſſe, ut refert Io.B. Porta *l.2. Phyſiognom. c.* 37. Darium pulcherrimum fuiſſe Strabo refert, niſi quod brachijs tam exertis erat, ut ſtantis genua contingerent. Sane omnibus regibus ſi non longa, ſaltem potentia brachia ſunt: in quam ſententiam ſcribebat Helena ad Paridem apud Ovidium:

An neſcis longas regibus eſſe manus?

Sed Artaxerxi Perſarum regi Longimani cognomen adjectum, quod dextram læva longiorem haberet: cum ſecundum naturam brachia oporteat eſſe inter ſe æqualia, licet dextra ſiniſtris imbecilliora eſſe experientiæ credamus, & Ariſtoteli *l.j. Hiſt. Anim. c.xv.* Contra, ſi tam brevia fuerint brachia, ut comedentes caput manibus admouere cogantur, malevolos atque alienis gaudentes malis arguunt Auctori lib. ad Alexandrum.

Particulatim *lacerti* longitudo ab humero ad flexuram gibberis, xij. eſt unciarum: peripheriæ, filo prope humerum circumacto, totidem conſtabit uncijs. *Cubitus* longitudine à flexura gibberis ad Reſtrictam infimam ſeu volæ radicem, denas æquat: circumferentia ſub gibbere xi. *Manus* ipſa faciei lineæ æqualis eſt, ſive octo continet uncias. Palmæ latitudo, à thenaris loco pollici vicino ad hypothenar medium, æqualis eſt utrinque tam per volam, quam per dorſum, quatuor quaſi unciarum: longitudo diverſa eſt ita, ut ſpatium à radice manus ad extremum palmæ ſub medio digito, in vola quidem quatuor uncias ſuperet, in dorſo non attingat. Ridiculum eſt, quod refert Taiſnerius *l.j. Chiromant. c.vij. Mulieres habentes curtam palmam, difficultate partus gravari: & hoc propter correſpondentiam ſciſſuræ membri pudendi, cujus longitudo æqualis eſt diſtantiæ à radice medij uſque ad Raſcetam.* Eadem eſt ratio medij digiti, qui quaternarum quidem unciarum eſt, ſed volam verſus tantillum deficit, quantum in dorſo excedit. Ipſum & longitudine & craſſitie pollex ſuperat, digitorum omnium robuſtiſſimus, & quaſi parva manus. Titillationem montis pollicaris ab homine incorrupti pudoris minus tolerari poſſe, crebra obſervatio docuit: unde à quamplurimis veterum Chiromantarum Veneri is tributus fuit. Medio quantitate proximus annularis: ipſi ſuccedit index, cujus longitudo exterior mediam totius manus longitudinem æquat, & ultimo loco auricularis. Hujus primo internodio ſi filum circumdes, ea menſura binas plus minus con-

tinebit

tinebit uncias: quæ triplicata carpum comprehendet, & carpi triplicata collum. Item, longitudo auricularis trium fere unciarum eſt, adæquans pollicis ſecundum & tertium internodium: ſecundum autem aperturæ dentium æquale eſt. Vnguis quilibet ſui dimidium articuli.

Cæterum dari in fronte lineas planetis ſingulis dicatas, ſuo loco fuit ex Metopoſcoporum doctrina demonſtratum: poſtulat idem jus in præſenti ſuis ſulcata manus lineis. Ariſtoteles j. *Hiſt. Animal. xv.* pauciſſimas agnoſcit, dum volam manus diſtinctam ἄρθροις, *τοῖς μὲν μακροβίοις ἑνὶ, ἢ δυσὶ δι᾽ ὅλου· τοῖς δὲ βραχυβίοις δυσὶ, καὶ μὴ δι᾽ ὅλου, articulis, longævis quidem uno aut duobus per totam volam ductis: brevioris vero vitæ duobus, qui per totam non excurrant.* Articulos hos ſect. x. problem. 48. τομὰς ſive ſectiones vocat, indagando cauſam, *Quare, qui manus cæſuram per totam obtinent palmam, vivere diutius poſſint?* Verum quas manus inſpexerit Ariſtoteles, & an Aſiaticorum volæ unam binaſve tantum lineas tum oſtenderint, quod omnia ipſis, quam Europœis robuſtiora, teſtimonio Hippocratis *l. de aer. aq. & loc.* id in medio eſt relinquendum. Nos ſi Europœorum manus intuemur, nunquam unam, duabus plures fere ſemper invenimus: immo adjunctis carpi lineis, quas Raſcetas barbare aut Reſtrictas nominant, Chiromātæ communiter quindecim recenſent, magnitudine tamen quammaxime inter ſe differentes. Evidentiores ſunt ſeptenæ. Tres in carpo; ſumma, media, & infima, quæ radici manus proxima: quatuor in vola; cardiaca, cephalica, menſalis, & fortunæ. Reliquæ nec tam frequenter adſunt, nec tam manifeſte apparent: ideo ut mirum ſit, quare qui fundamenta Chiromantiæ jecerunt, non evidentiores illas ſeptem tribuerint planetis, ſed quaſdam ex minutis illis, quæ viſum ſæpe effugiunt. Mihi ſi liceat non cornicum oculos configere, ſed perſcrutari ſaltem modum, quo primariæ manus lineæ, non ſine ratione, ad planetas reducantur: Saturno tanquam omnium ſupremo ſupremam quoque Reſtrictarum, Iovi proximo mediam, Marti imam aſcriberem. Cordi Sol imperat fons vitalis caloris, ergo & cardiacę. Cerebri Luna præſes, igitur & cephalicæ. Veneri menſalis jam antiquitus attributa, quod ex ipſa de partibus genitalibus & matrimonio judicium ferretur. Solus ſuperat Mercurius, de quo quicumq; naturas planetarum abſtruſius rimati ſunt,

K 2 duo

CAP. XXII.

Symmetria thoracis.

THorax origine Græcanica vox eſt, & multiplicis ſignificationis. Alienior eſt, qua vinculi genus pectori vulnerato deligando notat, cujus inijciendi rationem explicat Galenus lib. de Faſcijs. Magis proprie truncum corporis deſignat, ſub qua notione Plato in Timæo ſumſit, & Hippocrates lib. de Arte ſcripſit: ὅ,τε γὰρ θώραξ καλεόμενος, ἐν ᾧ τὸ ἧπαρ στεγάζεται, *Thorax dictus, in quo hepar continetur.* Itemq; Ariſtoteles *lib.* 1. *Hiſt. Anim. c. vij.* Τὸ ἀπὸ αὐχένος μέχρι αἰδοίων κύτος, ὃ καλεῖται θώραξ. *A collo,* inquit, *ad pudenda thorax appellatur.* Omnium maxime proprie accipitur à Galeno, cujus veſtigia cum recentioribus nos quoque nunc prememus, pro ſuperiore trunci cavitate, quæ diaphragmatis ſepto ab inferna interſtinguitur. Ad figuram thoracis quod attinet, eam ovalem aſſerit Spigelius *lib.* j. *corp. hum. fabr. c.* jx. quod tamen de toto trunco verius eſt. Eſt autem thorax homini naturaliter ex rotunditate paullulum compreſſus ante retroque: reliquis animalibus carinatus, ut loquitur Plinius *lib. xj. c. xxxvij.*

Diſpeſcimus thoracem in partes quaternas: anteriorem, poſteriorem, & laterales geminas.

ANTERIOR à jugulo incipiens ad molles uſque abdominis partes excurrit, *pectuſque* ſpeciali nomine vocatur. Quibus id *latum*, pectoroſi vocantur, magno roboris argumento, imprimis ſi piloſitas acceſſerit. Exemplo ſint Achilles apud Homerum & Daretem Phrygium, Hercules apud Diod. Siculum, & Mars militiæ præſes, de quo auctor Priapei.

Nemo eſt feroci pectoroſior Marte.

Ita Virgilius l. iij. Georg. de equo generoſo:

Luxuriatque toris animoſum pectus.

Nec tamen laudatur pectus *carnoſum*, quippe quod ruditatem potius, atque ignaviam indigitat Alberto M. atque Petro Aponenſi. Pectus *anguſtum* ſtrictumque imbecillitatem arguit: affectatur

Reprobantur, quæ majores ſunt, tanquam vinolentiæ, libidinis & rixoſitatis notæ. Vnde Martialis *l.xiv.Epigr.149.*

Mammoſas metuo: tenera me trade puellæ,
Ut poſſint niveo pectore lina frui.

Idem ibidem Epigr. *66.* iocoſe reprehendit inſtitutum fœminæ, quæ ingentes mammas veſte exigua compeſcere ſtudebat:

Taurino poteras pectus conſtringere tergo:
Nam pellis mammas non capit iſta tuas.

Et Horatius Epod. viii. per antiphraſin:

Sed incitat me pectus, & mammæ putres,
Equina qualis ubera.

Sed & in ſexu virili, mammæ de pectore amplo, macilentoq; dependentes nimium, ſcortatores effœminatos, & ebrioſos ſignant: nimis exiles, imbecillitatis indicinæ: mediocriter plenæ perfectam conſtitutionem oſtendunt.

POSTERIOR thoracis pars *dorſum* dicitur, quod ſumto principio ab eminentia ſpinata ſeptimæ cervicis vertebræ, ad primam uſq; lumborum extenditur. Conſtat dorſum Scapulis binis, & Metaphreno. *Scapulæ* Græcis ὠμοπλάται, Celſo *l. viij. c. j.* Scoptula, vel ut alii legunt, Scoptula operta. Principium ſumunt ab epomidibus & humeris, iuxtaq; metaphremum deorſum latæ ad nonam dorſi vertebram finiunt. Poetæ ſcapulas intelligendo, ſuis heroibus *latos* plerumq; humeros tribuunt. Ita Priamus de Vlyſſe interrogans Helenam ſupra muros Troiæ *Iliad. iij.* *Quis eſt ille*, ait,

Μείων μὲν κεφαλῇ Ἀγαμέμνονος Ἀτρείδαο,
Εὐρύτερος δ᾽ ὤμοισιν ἰδὲ στέρνοισιν ἰδέσθαι.

Minor quidem capite Agamemnone Atrida,
Latior vero humeris & pectoribus ad videndum.

Ita Virgilius *l. v. Aen.*

Tales prima dares caput altum in prælia tollit,
Oſtenditque humeros latos, alternaque jactat
Brachia protendens, & verberat ictibus auras.

Et *lib. ij.* Aeneas de ſeipſo Anchiſen portaturo:

Hæc fatus, latos humeros, ſubiectaque colla
Veſte ſuper fulvique inſternor pelle leonis,
Succedoque oneri.

Plato quum apud Ariſtonem Argivum palæſtritam exercendo corpori

pori operam daret, & robuſtiori valetudine, & ſcapularum amplitudine cęteris condiſcipulis longe præſtaret, nomen hoc adeptus eſt, cum antea ex avi paterni nomine Ariſtocles vocaretur, teſte Plutarcho *in vita Platonis*. Contra ſcapulæ *angula* debilitatis indicinæ, & ſi emineant valde in morem alarum, ad tabem opportunos commonſtrant Hippocrati ac Galeno *com.j. in j. Epidem.* & *com. in ij. aph. xxxj.* Avicenna optime ipſos deſcripſit *l. iij. F. x. tr. v. c. xx.* niſi lectas aures inculta verſio offenderet: *Iſti ſunt alati*, inquit, *habentes pectus ſtrictum, habentes ſpatulas nudas carne & proprie poſterius habentes ſpatulas declives ad anteriora incedendo, & quaſi unicuique eorum ſunt duæ alæ, & quaſi ſpatulæ ejus ſunt abſciſſæ ab adjutorio, & ante, & retro: & habentes colla longa, & inclinantes ea ad anteriora: & quandoque præcedunt guttura ipſorum, & eminent.* Πτερυγώδεις hos ſeu alatos Ariſtoteles inverecundiæ accuſare videtur, *lib. Phyſiogn. c. iij.* Sunt, qui prominulas ſcapulas pulvillis ex xylino, linove paratis conſtipent, quo habitiores appareant. Eos Cœlius Rhodiginus *lib. xij. Ant. Lect. c. xxxj.* Analectides vocari, probat ex illo Ouidij *lib. iij.* de arte amand.

Conveniunt tenues ſcapulis analectides altis,
Anguſtum circa faſcia pectus eat.

Metaphrenon quid proprie ſit, à veteribus vix ſatis eſt expoſitum. Φρένες diaphragma ſignificabant, itidemque præcordia, ubi diaphragma ſterno affigitur: itaque ex etymo metaphrenon imam dorſi partem denotaret, cui diaphagma productionibus ſuis alligatur. In quem ſenſum à Ruffo *lib. de part. hum. nomencl.* metaphrenon fuit definitum, quod ſit τὸ μεταξὺ τῦ νώτε ϗ ὀσφύος, κατὰ τὴν τῶν νεφρῶν πρόσφυσιν, pars inter dorſum & lumbos media, qua renes adjacent. Veruntamen à recentioribus paullo latius videtur extenſa metaphreni regio, ita ut totam dorſi partem deſignet, quæ à cervice incipiens inter ſcapulas ad lumbos uſque protenditur. Higino *deſcr. urſ.* Interſcapilium quoq; appellatur. Reſpondent ipſi vertebræ dorſi duodecim cum coſtarum principijs. Quibus metaphrenum *magnum*, bene carnoſum & articulatum, fortes ſunt, & ad leones referuntur. Quibus *exile*, imbecillitatem & mollitiem ſignat. Sed & *nimis carnoſum* improbatur, tanquam intellectus craſſi argumentum. Intus nimis curvatum, male moratos arguit: nimis

mis eminens glorioſos, & non intelligentes, cujuſmodi ad equorum naturam refert Ariſtoteles Phyſiogn. c.vj. *Gibboſum* peſſimum. *Apud me*, inquit Porta *l.2. Phyſiogn. hum. c. xxviij. omnes mutili improbi ſunt, & peſſimi omnium gibboſi: cum naturæ error ſit circa cor.* A ſacris olim hi rejiciebantur, tanquam mutilis deteriores. Galba auctor clarus, ſed gibbo prominenti deformatus, coram Cæſare Auguſto cauſſam agens, & velut eloquio gloriabundus ſæpe iterans: Corrige in me, ſi quid corrigendum videris, Auguſte! hoc ab eo reſponſum tandem habuit: Ego, Galba, monere te poſſum, corrigere non poſſum. Annotavit Macrobius *lib.ij. Saturnal. cap. jv.*

LATERALES thoracis partes latera, Græcis πλευραὶ vocantur. Sub axillis orta ad ilia uſque protenduntur. Subjacent ipſis coſtarum ſemicirculi. Ἄπλευροι ſive exiguis præditi lateribus Philoſopho *Phyſiogn. c.vj.* molles ſunt, & ad fœmininum genus referuntur: εὔπλευροι ſeu bonis lateribus inſtructi, fortes. Hinc Cato apud Tullium l. de Senect. exprobraturus factum Milonis Crotoniatæ: *Neque ex te*, ait, *unquam es nobilitatus, ſed ex lateribus & lacertis tuis.* Oratores expedit robuſta habere latera, quia membra ſpiritalia includunt, & ad ſermonem alta voce continuandam faciunt. Vnde Cato ibidem: *Orator*, inquit, *metuo ne langueſcat ſenectute. eſt enim munus ejus non ingenij ſolum, ſed laterum etiam, & virium. Omnino canorum illud in voce ſplendeſcit etiam neſcio quo pacto in ſenectute: quod equidem adhuc non amiſi: & videtis annos meos.* Refert autem de ſe ipſe paullo ſuperius, quod quinque & ſexaginta annos natus, legem Voconiam magna voce & bonis lateribus ſuaſerit. Stabilit hujus ſententiæ veritatem obſervatio Philoſophi l. c. ubi loquaces plane ac morologos eſſe ſcribit, ὅσοι ἐκ τῶν πλευρῶν περιογκοί εἰσιν, οἷον πεφυσημένοι, *quicumque lateribus circumtumidi ſunt & inflati boum inſtar aut ranarum.* Camillus Baldus com. ad illum locum apoteleſin. xxiij. ſe noviſſe hominem narrat, cujus non latera ſolum, ſed totum corpus inflàtum videbatur, & ipſe tumens tanquam bufo iratus continuo blaterabat, etiam cum ſolus foret: præterea perpetuum flatum à parte anteriori & poſteriori emittebat, adeo ventoſus & ampullaceus, ut neminem loqui permitteret. Latera carnoſa ruditatis ſignum Polemoni & Adamantio: ſicuti contra ingenioſo latera & dorſum minus carnoſum tribuit Ariſtoteles *Phyſiogn.*

c.iij. Apparere enim debent veſtigia coſtarum in homine bene menſurato, muſculis juſta diſtantia interpoſitis: nec in unum os, licet maximo roboris indicio, coaleſcere. Rothophanes Magneſius eodem die lucta, pancratioque victor Olympicis certaminibus evaſit, cujus cadaver ſub Hadriano Imperatore detectum, unicum os & perpetuum à jugulo ad ilia, coſtarum loco, oſtendit. Camillus Baldus *com. cit. apotel. xxj.* recenſet hiſtoriam viri medici robuſti, qui annum agens circiter quadrageſimum, ſubito ſuffocatus fuit. Diſſecto corpore domeſtici invenerunt, uno oſſe pectus conſtare, & intercoſtalia oſſea eſſe. Hinc concludebant, ut ſe habent ſuturæ ad cerebrum, ita ſe habere muſculos intercoſtales ad cor: & ſicut deficientibus ſuturis cranij, ob negatam tranſpirationem male afficitur animal, ita oſſeſcentibus muſculis intercoſtalibus & immoto thorace reddito, ob concluſum calorem cordis animal neceſſario ſuffocari.

Ad ſymmetriam omnium harum partium quod attinet, peripheria thoracis inſpiratione dilatati eſt xxxvij. unciarum: remiſſi, pedum ternorum: exſpiratione anguſtati unciarum xxxv. Latitudo tam anterior, quam poſterior, pedis unius eſt. Longitudo pectoris à jugulo ad præcordia, octonis conſtat uncijs: claviculæ ſingulæ ſenis. Metaphrenum longitudine tredecim uncias adæquat: latera nouem. Triangulum perfectum conſtituunt apices mammarum, & fovea juguli, ex ſententia quoque Camilli Baldi *com. cit. apoteleſm. 419.*

CAP. XXIII.

Symmetria ventris.

THoraci venter ſuccedit, tertia corporis cavitas, in qua partes naturales dictæ continentur. Στενοτάτην, inquit Hippocrates *l. de Articulis*, παντων τῶν ζώων ἄνθρωπος κοιλίην ἔχει ὡς ἐπὶ μεγέθει ἀπὸ τȣ̃ ὄπισθεν εἰς τὸ ἔμπροσθεν, ποτὶ καὶ κατὰ τὸ στῆθος. *Anguſtiſſimum ventrem ex omnibus animalibus homo habet: quantum ad magnitudinem attinet, à poſterioribus ad anteriorem partem, inſuperque etiam juxta pectus.*

Anti-

Antica ventris pars ABDOMEN vocata definitur Celſo *l. jv. c. j. quod à coxis ac pube ſurſum verſus ad præcordia pervenit.* Quare centrum ejus erit umbilicus, principium mucronata, finis pecten, latera ilia. *Vmbilicus* ab umbone dictus, ille in meditullio nodus eſt, quem luxuriæ ſedem olim pronunciarunt: unde Paphi in Cypro templum eſſe ſcribit Porta *l. ij. Phyſiogn. c. xxxv.* in quo Venus ſub umbilici figura antiquitus colebatur. De ſcrobiculo cordis, cui mucronata cartilago ſubeſt, præcedenti capite actum. Pecten locus ille dicitur, ubi oſſa pubis committuntur, pudenda ſuſtinens. Ilia abdominis latera ſunt, quibus lumbis jungitur. Hæc circumferentia abdominis in multas regiones ab Anatomicis ſubdividitur, quas afferre ſingulas hic nihil attinet. Sufficit nobis ad dimenſionem commode incundam illud partiri in regionem ſupra & infra umbilicum poſitam. Illam *epigaſtrium* nominabimus, non prout à Galeno *com. ij. aph. xxxv.* accipitur: ſed quia τῇ γαστέρι ſeu ventriculo incumbit. Hanc *hypogaſtrium*, quod ἦτρον Hippocrati l. c. Gaza ex Ariſtotelis *l. j. Hiſt. anim. c. xjv.* Sumen vertit: in cujus extremitate pudenda pube circumfuſa viſuntur, pertingitque ad perinæum uſque. Ad latera inguinibus circumſcribitur. Exoſſe abdomen factum eſt, quo cibo diſtendi, & fœtu in mulieribus queat.

Ventris poſterior pars lumbis conſtat, & coxis. LVMBI, ὀσφύες Græcis, ab ultima dorſi vertebra ſumto principio ad nates uſque extenduntur, utrinque abdomini per ilia commiſſi. Componuntur ex parte oſſea, quæ vertebris quinis, oſſe ſacro atque coccyge ſuſtinetur: & carnoſa, quæ utrinque muſculoſa pulpa prominet, cuique nullæ coſtæ ſubijciuntur, unde iliorum mollis vacuitas, ob quam κενεῶνες Hippocrati dicta ſunt. COXAE formantur ab oſſibus innominatis, quorum tres partes. Supremæ Oſſa ilium vocantur, quæ arcus inſtar eminentia nates ſuſtinent. Imæ abdomen verſus vergunt, & Oſſa pubis appellantur. Medijs Iſchiorum nomen, quorum acetabulis oſſa femoris inſeruntur. Nates Græcis σφαιρώματα, quaſi globoſæ circumſcriptiones vocantur. Parti excretoriæ γλουτούς, tanquam ſtragulum ſubditas, dicit Philoſophus j. *Hiſt. Animal. c. xiij.* inde Sedilia quoque Cœlio Rhodigino. Item Clunes ex Græco κλᾶνες. Iuvenalis:

— Tremulo deſcendunt clune puellæ.

A curvatura coccygis aſſurgunt utrinque, & qua femori committuntur, ſoveas quaſdam tranſverſim efformant, quas Ariſtoteles *l. c. c. xjv.* ὑπογλουτίδες nominavit, ſubnatales Gaza.

Cunctæ hæ partes num debitam ſervent ſymmetriam, hoc pacto ſcrutator. Applica anthropometron, & ſi corpus bene proportionatum fuerit, xvj. id monſtrabit uncias pro longitudine totius abdominis: ita ut umbilicus octo uncijs à pectoris ſcrobe, totidemque à pudendis, diſtet. Diſtet jx. uncias ab ilium loco utrinque, ubi oſſium innominatorum extrema prominent. Profunditatem ab umbilico ad lumbos Spigelius ſtatuit novem circiter vel x. unciarum: verum creſcit id ſpatij, & decreſcit pro ratione aſſumptorum. Poſterius lumbi cum natibus longitudine xj. anthropometri uncias complebunt. Filum ab umbilico per ilia circumductum, ſi venter cibis debite ſit diſtentus, trium pedum menſuram attingat oportet.

Hanc qui admodum excedunt, ventrioſi ſunt exemplo Aeſopi, cujus vitam deſcripſit Maximus Planudes. Apud Phyſiognomos (licet ſignis à ventre petitis ultimus locus ſaltem aſſignetur ab Ariſtotele *Phyſiogn. c. ult.*) male audiunt, quibus, ut habet Perſius *Satyr. 1.*

Pinguis aqualiculus propenſo ſeſquipede extat.

Minus ſolertes, ait Plinius *l. xj. c. xxxvij.* quibus obeſiſſimus venter. Græcis in proverbium abiit:

Παχεῖα γαστὴρ λεπτὸν ὀ τίκτει νόον.

Pinguis venter ſubtilem non generat intellectum.

Præterea luxurioſos notat atque facinoroſos. Neronem prominulo fuiſſe ventre, prodidit Suetonius. Plautus Pſeudolum ſuum deſcripturus *in Pſeudolo*, & Leonidam *in Aſinaria*, illum ventrioſum eſſe refert, hunc aliquantulum. Plato obeſitatem ſuam ita odio habuit, ut caſtigare eam cum vitæ periculo ſtuduerit. Quapropter elegit Academiam, ut refert Baſilius *lib. de legen. ant. ſcr pt.* Athenęum locum inſaluberrimum, & inclementia aeris infamem, quo ſarcinam illam animi inutilem perderet, aut attereret. Perhibuit Deſid. Eraſmus *lib. Adag.* Gordios creare regem conſueviſſe eum, qui inter ipſos foret maxime corpulentus: ubi contra Spartani conſilio longe ſapientiori obeſos adeo oderunt, ut ipſos non ſolum ignominioſos reputarent, ſed & injuncta legibus multa acer-

be

ſbe plecterent. Plutarchus *in Catonis vita* notavit lepidum dicterium, quo is in præpinguem quendam luſerat: Quomodo tale corpus, inquit, utile ſit Reipublicæ, in quo, quod inter gulam & inguina intereſt ſpatij, omne occupat venter? Idem *in Apophth. Græc.* de Epaminonda Thebarum duce prodidit, quod is obeſum militem in ſuo exercitu conſpiciens, mox caſtris ipſum expulerit, addita hac ſententia: Vix ter aut quatuor clypei tuum tegerent ventrem, per quem tua nunquam vidiſti pudenda. Verum ſuperant omnem craſſitiei turpitudinem duo Rabbi, quos vocant Iudæi, Iſmael & Eleazar. Eos tam ventrioſos fuiſſe retulit Michael Neander *Exot. Hebr.* ut cum in pedes conſiſterent, & faciebus ſibi invicem obverſis ventres conjungerent, bini boves inter ipſos, neutrum contingendo, tranſire potuerint.

Contra ventres macri multum conſerunt ingenio: adeo ut fame coacti pauperes, animum ad varias artes inveniendas non tantum applicuerint, ſed nec raro magnam inde laudem reportarint. Vnde merito Perſius cecinit in præſ. Satyr.

Magiſter artis ingenijque largitor
Venter.

Macilento ventre præditos olim oportet fuiſſe pleroſque Philoſophorum, quos apud Athenæum *lib. xiij. Dipnoſoph.* notat Antiphanes, vocando eos σοφιστὰς λεπτοὺς, ἀσίτους, σκυτίνους, ſophiſtas macilentos, impaſtos, pellinos. Ipſe M. Cicero corpore erat gracili atque macilento. Sfortiam ducem animoſum ac fortem auctor eſt Iovius, ventre adeo reſtricto & caſtigato fuiſſe, ut anguſtiſſime cingeretur. Eiuſmodi ventres ægrius perferunt purgationes catharcticis vehementioribus inſtitutas. Vnde Hippocrates *l. De vet. medic.* prudenti medico figuras ventrum inſpicere præcipiebat, & *ij. aph. xxxv. Omnibus in morbis,* inquit, *partes quæ ad umbilicum & imum ventrem ſunt, craſſitudinem habere, præſtat: valde vero tenues & labefactas eſſe, pravum. Sed hoc ipſum quoque ad infernas purgationes periculoſum.* Ventris tenuitati totius corporis gracilitas plerumque ſolet eſſe comes: quod ſi totum corpus nimis gracile fuerit, talia ab antiquis monogrammata dicebantur, ad modum literæ I, cujus longitudo quidem aliqua, at craſſities exilis. Plautus *Aulular. A. iij. S. vj.* curionem agnum deſcribit his verbis:

Qui

Qui oſſa atque pellis totus eſt, ita cura macet:
Quin exta inſpicere in Sole etiam vivo licet.
Ita is pellucet quaſi laterna Punica.

Punicæ enim ſeu Africanæ laternæ ſupra cæteras erant pellucidæ: unde ſcutilis ſeu hominibus plane excarnibus, & qui vix oſſibus hærent, id nomen convenit. Auctor Carmin. liberi:

Cuius viſcera non aperta Tuſcus
Per pellem poterit videre haruſpex.

Talis erat Philetas Cous apud Athenæum *lib.xij.cap.xxix.* qui ferreas vel plumbeas habebat ſoleas ſub calceis, ne à ventis abriperetur. Et Archeſtratus vates, qui captus ob hoſtibus & ad lancem appenſus, inventus eſt habere pondus unius oboli. Ventris igitur figura non eſto plana, multo minus concava, ſed leniter à thorace fornicata: ne ex Plutarcho obiici poſſit illud Titij Quintij in Philopœmenem, cuius habitum is cavillaturus: *Quam pulchras*, inquit, *manus Philopœmen, & crura habes: ventrem non habes.*

Vmbilicus quibus loco motus eſt, pravum ſignum: adeoq; Io.Riolanus *l. ij. Enchir. Anat. c. xv.* jure conſiderare jubet, an umbilicus centrum ventris obtineat. Alioqui ſi pars infra umbilicum ſit longior ſuperiore, ilias morborum naſcitur in ventre inferiore, quia vena umbilicalis brevior non ſufficienter revellit iecur, quod pondere ſuo comprimit ventriculum & partes ſubditas. Ita, *quicumq; maius habent* auctoritate Philoſophi *l. Phyſiogn. c. vi. quod ab umbilico eſt uſq; ad extremum pectoris eo, quod eſt ab extremitate pectoris uſq; ad collum, voraces ſunt & inſenſibiles. Voraces quidem, quoniam ventrem habent magnum, quo cibum appetunt. Inſenſibiles autem, quia anguſtum habent locum ſenſus, atque in arctum redactum ab eo, qui recipit cibum, ita ut ſenſus graventur propter repletiones ciborum aut indigentiam.* Præterea de ſitu umbilici notandum, natura ipſum potius latere parum, quam eminere debere: quod eminentia umbilici vix poſſit eſſe bonæ ſanitatis indicina.

Lumbi validi atque oſſei viriles ſunt: imbecilles, valdeque molles ad fœminas referuntur. Quod ſi tamen ſpinæ vertebrarum lumbalium nimia acutie promineant, timidos notant atque malitioſos. Lumbis in venere magna virtus: quare bene lumboſi ad certamen illud aptiſſimi. Sed & ſimilitudine à canibus venaticis deſumta venationis ſtudioſi ſunt, ex mente Ariſtotelis l.c. Exemplum

utriuſque effectus eſto adamatus Veneri Adonis, cuius effigiem ex antiquis marmoribus delineari curavit Io. B. Porta *l.* 2. *Phyſiogn. human. c. xxx.* Fuerunt, quorum lumbi flagris indigebant ad excitandam libidinem: qua de re videatur epiſtola Cl. Viri Io. Henrici Meibomij, cui titulus: *De flagrorum uſu in re venerea.* Excitantur etiam carminibus, unde Perſius:

—— Cum carmina lumbum
Intrant, & tenero ſcalpuntur ubi intima verſu.

Denique motu frequentiori incaleſcunt, redduntque homines, exemplo equitum atque textricum, libidinoſiores.

Coxarum oſſa quibus bene apparent exterius, fortes ſunt: quibus vix apparent ob gracilitatem, timidi & imbecilles. Nates mulierum natura magis carnoſæ ſunt, virorum magis oſſeæ. Quod ſi viro contigerint nates muliebres, animi quoque erit mulierarij: ſin graciles omnino & ſiccæ, quales ſimiis, verſipellem ac malignum innuunt. Laticlunes Galenus *l. De decret. Hipp. & Platon.* frigidiores atque timidos eſſe aſſeruit. Athenienſes olim erant ἀπύγλυτοι ſeu exilibus natibus præditi, cuius rei cauſſam in rem nauticam conferunt, cui plerique dediti erant, & ob ſedendi aſſiduitatem ἄπυγοι reddebantur. Confer Suidam, & Cœl. Rhodiginum *l. jv. c. v. ij.* Horatius improbat aridas nates *Epod. viij.*

Hietque turpis inter aridas nates
Podex, velut crudæ bovis.

Atque hæc de Ventre. Reſtant ſola *pudenda*, quorum proportio obſcœna videbitur Catonibus quibuſdam, qui res ab actionibus diſcernere nequeunt: cum res per ſe nulla turpis ſit, ſed actiones rebus patratæ. Quod ſi omnino res turpes forent, nos hic ne res quidem exhibemus, ſed verba tantum, quæ turpia haud eſſe, lepida ad Pætum epiſtola ex mente Stoicorum monſtravit Cicero. *l. jx. Famil. xxij.* Cæterum quoſcumque verba etiam offendunt, ut prætereant, quæ ad finem uſque hujus capitis ſequuntur, rogatos volumus.

PVDENDVM VIRILE pectini annexum pene conſtat, & teſticulis. *Penis* eſt ſica illa, quam geſtare lex Cornelia non vetat, monſtrare tamen interdum pudor prohibet. Innumeris fere titulis à Grajis, Latiſque ſcriptoribus fuit inſignitus, quorum ſufficientem elenchum collegit C. Bauhinus *lib. de part. corp. ext. c. xij.* E latinis præcipua ſynonyma: Veretrum, Colis, Verpes, Mentula. Dividitur in

partem

partem ventri affixam, atque dependentem: quarum hæc præſentis conſiderationis, & canali, glandeque conſtat. Glans detegi cute, canalis nequit. Variatur penis magnitudo ab affluxu & refluxu ſpirituum adeo, ut erigatur modo, modo retrahatur: retracti tamen, quam erecti, multo minor eſt. Vnde naſutulo cuidam, qui conſpecta Herculis ſtatua flaccido membro ſculpta, artificem inepte reprehendebat, quod viro ingenti exiguum penem finxerit, reſponſum fuit: *Nec Dejanira adeſt, nec priapiſmo laboravit Hercules*. Erectum penem ad umbilicum protrahi ſcribit Camillus Baldus *com. in Phyſiogn. Ariſt. apotel.* 149. Cui conſentit Spigelius *l. j. corp. hum. fabr. c. x. Penis erectus,* inquiens, *in homine ætatis adultæ ſex uncias obtinet in longitudine, quatuor in ambitu*. Tribuerat autem paullo antea totidem uncias, ex ſua hypotheſi, ſpatio ab umbilico ad oſſa pubis. Hanc proportionem qui ſuperant, mentulati dicuntur, Auctori Priapejorum: Græcis onobeli, quaſi aſini telum vibrantes, quod huic animali præ reliquis ingens priapus. Vnde aſinum appellabat Commodus Cæſar hominem ſibi familiarem, cui penis nimium in modum prominebat, referente Lampridio. Propterea facta comparatione Phyſiognomi, mentulatos ſtolidos, juſtoque majorem verpam aſinini notam ingenij eſſe contendunt. Præterea fœminas hi ſolent uterinis ſuffocationibus obnoxias reddere, quod longior mentula cervicem uteri nimis elongando in coitu, ligamenta ejus admodum laxat. Subiungit Spigelius l. c. *majorem* mentulam replere potius vulvam mole, quam uterum fœcundo ſemine: cum ineptior ſit ad venerem, quam neque animoſe aggreditur, nec diu ſuſtinet victis pondere muſculis, qui rigidam haſtam tenent. *Parvam* contra & ſalaciorem eſſe, & fœcundiorem, quod titillando cervicem uteri, magis prolectet fœminarum ſemen, & diutiſſime pugnam perferat. Habet aliam adhuc ejus rei rationem Exc. Vir & paternæ æmulus gloriæ Dominicus de Marchettis, quam vide Anatom. cap. vj. ubi præterea aſſerit, brevitatem membri nihil obſtare, quo minus ad orificium uteri pervenire poſſit: cum uterus in concubitu mediantibus ligamentis moveatur, & ad recipiendum ſemen maris ejaculatum ipſe deſcendat. Lepida eſt obſervatio Io. Poſthii, longiorem fieri mentulam ijs, qui caligis non utuntur, *Obſerv. anat. in Anat. Realdi Columbi.* Haſta illa naturaliter recta protēditur, nōnullis parumper inclinat ad latera. Quibus dextrorſum, ad procreandas

das fœmellas aptiores exiſtimantur; quibus ſiniſtrorſum vergit, frequentius filios generare: id quod tamen falſum eſſe deprehendit Io. B. Porta *l. ij. Phyſiogn. hu . c. xvj.* In obſtreticum arbitrio poſita eſt veretri diminutio, dum in lucem editur infans, ſi vera eſt opinio, quod præciſo nimis breviter umbilico, urachus arteriarumque umbilicum par, quibus veſica atque mentula connexa ſunt, ſurſum retrahitur. Io. Riolanus *l. vj. Anthropogr. c. jv. Ad vitæ commoditatem valde conducit juſta & legitima umbilici præſectio, quia penis & uterus umbilici proportionem ſequuntur*. Prodiderunt idem Petrus Aponenſis, Ioh. Poſthius, C. Bauhinus, atque alii.

TESTES duæ ſunt ad penis radicem appendices, quos proinde appendicula credidit Philoſophus, ne vaſa ſpermatica implicarentur, adiuncta eo modo, quo pondera textrices telis annectunt *l. 1. Gen. anim. c. 4.* Colei etiam, aut Culei, & diminutive Teſticuli dicuntur. Ὄρχεις Græcis, ſed Galeno honeſtiori vocabulo δίδυμοι, quia gemini. A ſimilitudine κύαμοι, fabæ vocati fuerunt, teſtimonio Gellii *l. jv. Noct. Att. c. xi.* Eorum ſuperior pars κεφαλὴ, caput: inferior πυθμὴν, fundum dicitur Ruffo Epheſio *lib. De corp. hum. part. appell. j. cap. xij.* Vaginæ cutaneæ includuntur, quæ *crotum* vel ſcortum Celſo, ὄσχεὸς Ariſtoteli *j. Hiſt. anim. xiij.* ὄσχεος Galeno, alijs βύρσα, burſa appellatur. Ineſt ſcroto cum teſticulis motus, etſi non omnino voluntarius. Iuvenibus attrahitur magis, quam ſenibus: pleriſque autem inter mingendum, atque in coitu. Cui ſemper laxum ſcrotum, λακκόσχεὺς Athenienſibus nominabatur, auctore Iulio Polluce *in Onomaſtico*. Pleriſque item ſiniſter coleus dextro magis propendulus. Parvos teſtes malorum morum indices opinatur Conciliator, magnos ſtolidi atque inertis hominis. Verum Porta robur indicare hos contendit, quod teſtibus virilis vis inſit. Liquet hoc exemplo ſpadonum, quibus cum exſectis coleis virilitas una aufertur, barba non ſuccreſcit, vox effœminata redditur, animus ipſe in muliebrem convertitur.

PVDENDI FOEMINEI commenſum, Lector, cave expectes hic, cum nobis corporis perfecti ſymmetriam venari propoſitum ſit: muliebre autem corpus omne, quatenus tale, imperfectius eſt, & minus ſymmetrum: ſiquidem tota fœmina aberratio naturæ æſtimatur Philoſopho, atque quædam impotentia, *l. jv. gen. anim. c. iij. & l. j. c. xx.* Deſcribimus nos corpus, quod partium propor-

tionem omnibus numeris abſolutam ſervat. Illud ſi non detur; cum in mundo nihil ſit ex omni parte beatum: arbitramur tamen cum Camillo Baldo *l. r. docum.* j. corpus virile ſummæ perfectioni eſſe proximum, muliebre uno adhuc gradu remotum, & propterea hoc tanquam minus menſuratum à noſtra tractatione ſecludendum. Differentiam habitus ſœminei à maſculo duabus figuris in æs inciſis exhibuit Io. B. Porta *l.* j. *Phyſiogn. hum. c. xx*j. edit. Neapol. in fol. A. C. 1602. ut & Albertus Durerus lib. de hum. corporis proportione: eandemque plenius explanare, alia vice nos quoque ad mentem Ariſtotelis tentabimus, qui *l. iv. Hiſt. Anim. c. xi.* ſolida ejus rei fundamenta jeciſſe videtur.

CAP. XXIIIJ.

Symmetria cruris.

INferiores artus Ariſtoteles *l. i. Hiſt. anim. c xv. σκέλη* vocat, Gaza crura interpretatus eſt. Aliis pes appellatur, aut pes magnus, ad pedis proprie dicti differentiam. Diuiditur Crus ad exemplum brachii, & auctoritate Galeni *l. De inæqual. intemper. c. ij.* in tres partes, totidemque articulos.

FEMVR incipit interius à pudendis ac perinæo, quæ utrique femori interjacent: exterius à tubere oſſeo, quod inſertio capitis femorei in ſuum acetabulum effingit. Caret hic articulus nomine, quamuis non deſint, qui ſumto à ſuo oſſe etymo coxendicem aut *ἰσχίον* nuncupent, unde iſchiatico dolori nomen. Terminatur inferius articulo, quod genu dicitur. Genu conſtat duabus partibus, quarum ſuperior *μύλη*, Celſo patella aliis rotula: inferior *ἰγνύς*, poples nominatur. Grammatici interiores femoris partes femina dici volunt, quod Plinius *l. xxviij.* ſcribat: *Femina atteri equitatu, notum eſt.* Qua de re Laurentius Valla *l. jv. c.* 57. Finxit inde ſuum Interfemineum Apulejus, qua voce verendas mulierum partes, veluti inter femina poſitas, ſignavit.

TIBIAE vox ambigua. Nonnullis os fibulæ ſocium notat, quod quia cavum intus & oblongum, inſtrumento muſico conficiendo

aptum eſt; cui hodieque tibiæ nomen ſuperſtes. Horatius l. de arte:

Tibia non, ut nunc orichalco vincta, tubaque
Æmula: ſed tenuis, ſimplexque foramine pauco.

Nobis mediam totius cruris partem notabit, cujus principium genu: finis articulus inferior, cujus interventu pedi jungitur. Articulus hic & ipſe anonymus videtur, niſi ab oſſe rotundo, circa quod tibia inferius flectitur, *talum* appellemus. Falſo enim quibuſdam tali vocantur proceſſus illi duo, qui utrinque eo loci prominent. Malleoli nanque hi ſunt, Ariſtoteli σφυρά, tali nullo modo. Videatur Galenus *com. iij. in l. De fractur.* Anterior pars tibiæ durior Ariſtoteli j. *Hiſt. Anim. xv.* ἀντικνήμιον, crea Gazæ: poſterior γαστροκνήμιον, Latinis ſura vocatur, quam ſoli homini datam cenſebat Plinius *l. xj. c. xxxvij.* Reprehendit Iovem Momus, quod ſuram carne munierit, cream offendiculis expoſitam reliquerit excarnem. Verum in promtu eſt pro Iove apologia, quod oculos eo fine in fronte geramus, ut ante proſpicientes vitare offendicula poſſimus: retro non item.

PES abiectior animalis pars infimum in corpore locum obtinuit, cum tamen commodius locari non potuerit. *In mundo*, ait Galenus *l. iij. De uſ. part. c. x. medium eſſe ſolem inter errantia ſidera, infimum autem in animali pedem neceſſe fuit.* Partimur pedem in tarſum, metatarſum, & digitos. *Tarſi* vocabulum à Græcis deſumtum, quibus πέδιον etiam hæc pars dicitur. Subſunt tarſo ex mente Galeni *l. 1. cap. vi.* tria oſſa, quibus totum corpus innititur: talus ſeu aſtralagus, calx, & cymbiforme. Cutis tarſo calloſior atq; durior ſubtenditur. Metatarſus aut metapedium conſtat duabus partibus. Superior nervoſa; Ariſtoteli ſine nomine, recentioribus Dorſum pedis: interior Planta dicitur. Suſtinetur metatarſus oſſe cubiformi, tribus cuneiformibus, & quinq; propriis. Cutis, quæ plantæ ſubtenditur, mollior eſt ad monticulos uſq; digitorum. Digiti utrivis pedi numero quinq;, ſuis muniti unguibus. Maximi omnium pollices, quos reliqui minori ſemper quantitate ſequuntur. Digitos μονοκάμπτεις eſſe, ſeu uno flexu duntaxat adduci volebat Ariſtoteles: cum tamen ternis ſinguli oſſibus, excepto pollice conſtent, totidemq; articulis nectantur.

Facta cruris in ſuas partes diſtributione, ſymmetria ſingularum in-

quirendæ nos accingamus. Totius cruris longitudo ternos pedes continet, adeoq; reliquo corpori æqualis eſt. Femur longitudine xviij. uncias, tibia cum tarſo totidem in anthropometro æquat. Filum ſupremo ſemori per perinæum & hypoglutides circũductum, xxij. eſt unciarum: ſuræ circundatũ mediæ, xiv. Reſpondere debet ſuræ *ambitus calcis qua pes flectitur*, ut loqui amat Hieron. Cardanus l. xi. De ſubtil. rer. *unde ocreis menſura*. Pedis latitudo per plantam accepta, uncias quaternas complet. Longitudo capitur ſuppoſito anthropometro, more ſutoribus conſueto, dum parandorum calceorum menſuram explorant: continetq; ea, ex ſententia quidem Alberti Dureri *l. de proport. corp. hum.* duodecim uncias, ſeu quod idem eſt, capitis cum collo longitudinem adæquat. Ex xij. illis uncijs tres minimum tarſo, quinq; plantæ, quatuor digitis atq; ipſorum monticulis adſcribuntor. Vngues ſinguli ſuorum articulorum mediam partem obtegunt. Animadverſum quoque fuit, longitudinem pedis tantam eſſe, quanta fili ex tali articulo per plantam circum acti. Ab hoc cruris commenſu quicunque recedunt, aſymmetri pronunciantor.

Quibus *crura* juſto *breviora*, pravorum morum ſunt Polemoni *l. de nat. ſign. interpr.* exemplo Selimi Bajazetis F. Imperatoris Turcici, qui procera ſtatura fuiſſe perhibetur, verum brevioribus cruribus, injuriarum memor, ingenio perfidus, præceps in averſam venerem. Quibus *longiora*, eos utplurimum alvo eſſe fluentiore, multiplici obſervatum experientia à Spigelio *l. j. corp. hum. fabr. c. vj.* Iccirco admonet ibidem medicos, ut cautiores ſint in præſcribendis purgantibus, nec validiora talibus offerant, quos facile in pericula conjicere poſſunt. Sunt qui crurum proceritatem ad generandi officium in ſexu muliebri conferre putant, referente Gaſp. Bartholino *l. iv. Inſtit. Anatom. c. x.* Accidit cruribus *claudicatio*, quam Plinius clauditatem dixit, ſi utrique non eadem ſit menſura: ſed ob luxationem, torſionem aut quodcunque aliud conformationis vitium, alterum altero brevius exiſtat. Claudos ſalaces perhibet Ariſtoteles, ejuſque rei cauſam *Sect. iv. probl. xxxij. & Sect. x. probl. xxvj.* affert, quod alimenti pars vitiato cruri deſtinata, ad genitalia membra ſurſum confluat, unde major ſeminis prouentus. Adde quod ad motus violentiores inepti vitam plerumque ſedentariam agunt, qua pauciſſima aſſumtorum quantitas inſenſibili tranſ-

ſpiratio-

ſpiratione aut ſudore difflatur. Poetæ hoc videntur indicaſſe, fingendo Vulcanum maritum Veneris ſeu luxuriæ, claudum eſſe; & Antianira Amazonum regina, ut ex Theocriti interprete elicitur, auctor illius dicterii extitit: *Optime claudus init.* Conferatur Io. B. Porta *l. ii. Phyſiogn. hum. c. xliv.* Quin immo maximam partem ſcelerati ſunt, exemplo Therſitæ Homerici, & à quibus tanquam imminutis & ſuperioris naturæ opere infortunatis, ſibi cavere Alexandrum juſſit Philoſophus, vel alius ejus libri auctor. Lacedæmonibus ex oraculo Delphico reſponſum fuit, tunc eorum regnum caſurum, quum claudus imperaret. Fuerunt tamen, qui corporis defectum virtutis ſtudio rependere ſatagerunt. Sic Androclides Lacon crure debilis, cum bellatoribus ſe admiſcens, à quibuſdam prohiberetur veluti parum robuſtus, reſpondit: In aciem prodire oportet eos, qui de prælio cogitant, non de fuga. Notum eſt facinus Coclitis Romani apud Livium, qui in ponte conſiſtens ſublicio, dum ſolus Hetruſcorum impetum retundit, calamitatem in pede paſſus eſt. Ea quum ſibi aliquando objectaretur: Per ſingulos, inquiebat, gradus admoneor triumphi mei. Sic Marullum poetam Crinitus claudum fuiſſe prodidit.

Femora quibus oſſea & nervoſa, fortes Ariſtoteli *l. Phyſiogn. c. jv.* quibus carnoſa nimis & mollia mulieroſi. Pythagoræ femur aureum fuit, quod nudatum aliquando cum vidiſſent diſcipuli, ipſum Apollinem hyperboreum eſſe opinati ſunt, ex relatione Diogenis Laertii *lib. 3.* Genua carnoſa debilitatem formaticis ac mollitiem Ariſtoteli *l. ad Alex.* notant: & *l. Phyſiogn. c. ij. atque vj.* γονύκροτοι aiτ κίναιδοι, *cinædi ſunt, quorum genua crepitant.* Non vero: *quibus genua plana*, ut habet verſio vulgaris interpretis incerti. Horatius *Epod. viij.* propoſiturus exemplar fœminæ deformis, inter alias notas refert.

— Femur tumentibus
Exile ſuris additum. —

Tibiæ bene articulatæ cum ſuris ad tactum ſolidis atque deorſum tractis, argumenta ſunt maximi roboris. Sic Laodamas Alcinoi Regis filius apud Homerum *Odyſſ. viij.* vires Vlyſſis hoſpitis ex corporis notis conjectans tibias ſecundo mox loco numerat:

— Φυὴν γε μὲν ὁ κακός ἐςι,
Μήρυς τε, κνήμας τε ϗ ἄμφω χεῖρας ὕπερθεν,
Αὐχένα τε ςιβαρὸν, μέγα τε σθένος.

Natura quidem non malus eſt,
Nec femoribus, aut tibijs, aut ambabus manibus deſuper,
Aut cervice firma, aut ingenti robore.

Tibiæ graciles & nervoſæ in venerem proclives arguunt. Io.B.Porta *l.ij. Phyſiogn.c.*44. *Ego,* inquit, *quamplurimos amicos habeo tibijs gracilibus, ut avium vel locuſtarum potius, quam hominum videantur: ſunt autem iſti immoderatæ & inexplebilis luxuriæ.* Ariſtotelem ipſum graciliimis tibiis & luxurioſum fuiſſe, ex Diogene Laertio conſtat: Caligulam, Germanicum Druſi F. ac Domitianum, ex Suetonio. Tibiæ figuram natura rectam eſſe oportet: quibus extrorſum vergit ea ratione, qua pedes cancrorum ſolent, bleſſi, valgi aut vatij; quibus introrſum, vari aut rhæbi appellantur. In Phœbum quendam diſtortis præditum tibiis, extat lepidiſſimum epigramma Martialis *lib. ij.*

Cum ſint crura tibi, ſimulent quæ cornua Lunæ,
In rhytio poteras, Phœbe, lavare pedes.

Ῥύτιον autem eſſe poculi genus cornu ſimile, & ad formam lunæ creſcentis incuruatum, auctor eſt Athenæus *l. x. Dipnoſoph. c. xiij. & l.xj. c. j. v. & xxvj.* Quibuſcunque ea quæ circa malleollos ſunt, neruoſa & articulata, fortes ſecundum animam, ut loquar cum Philoſopho *l. Phyſiogn. c.vj.* referunturque ad maſculinnm genus: quicunque autem malleolis carnoſi ſunt atque inarticulati, molles ſecundum animam, & ad fœmininum genus referuntur.

Pedes longiores, à quibus Pedones dicti, Polemon ait innuere hominem multa molientem, ac malorum artificem. Ita apud Plautum *Pſeudol. A. jv. S.vij.* Harpax deſcripturus vafritiem Pſeudoli, qui contra Simonem varia conabatur, admodum magnos ipſi inter alia ſigna pedes tribuit, intelligendo procul dubio longos ac latos. Subijcit ſtatim Simo:

Perdidiſti, poſtquam dixiſti pedes.

Quicunque autem pedes parvos, ſtrictos, inarticulatos habent, delectabiliores viſu, quam fortiores, molles ſunt & fœminei, ſuffragio ejuſdem Ariſtotelis l.c. Pulchros, teneroſque pedes Telemacho Homerus adſcribit, quem Penelope apud Ovidium *Epiſt. j. Heroid.*

imbel-

imbellem nominat, licet poſtea reducem patrem in ulciſcendis procis adiuverit:

Tres ſumus imbelles numero ſine viribus: uxor,
Laerteſque ſenex, Telemachuſque puer.

Ego crederem ſimilibus præditum pedibus fuiſſe diffluentem illum deliciis atque fractum, qui coram Galeno naturam inſectari auſus eſt, quod non per pedes inſtituerit fæces effluere, ſed per alvum. Nam cum grave ipſi eſſet, è lecto ſurgere reddendarum fæcum gratia: optabat ita eſſe conſtructus, ut ſolum pedem exerens, deponere in latrinam excrementa poſſet *l. iii. de uſu part. c. x.* Valde carnoſi, & craſſi pedes fatuum indicant, & injuriarum amantem. omnis enim caro in membris redundans, intellectus ſubtilitati officit, *lib. ad Alex.* Pedes oportet eſſe rectos, non intortos aut curvos, quales Democidi apud Plutarchum. Is, cum ſibi furto ſubreptæ eſſent crepidæ, precatus eſt Deos, ut ejus, qui abſtulerat, pedibus convenirent. Non poterant autem convenire prius, quam pedes furis pedibus Democidis torſione ſimiles redderentur. Præterea naturaliter cava paullulum eſt planta pedis, id quod indicium hominis honeſti atque circumſpecti eſſe putat M. Albertus. Quibuſcunque vero planta σκαφοειδὴς, nimium excavata ſcaphæ inſtar eſt, effœminati à Polemone exiſtimantur. Quibus adeo plana, ut ſolum tota attingat, ploti olim, mox plauti vocati ſunt. Verſutos eſſe tales, facta ad vulpinos pedes comparatione Polemon atque Adamantius contendunt. M. Accius Vmber Comicorum feſtiviſſimus à planitie pedum Plauti nomen adeptus eſt, teſtibus Feſto atque Sexto Pompejo. Is quam lepida fuerit calliditate, fabulæ ſuperſtites abunde teſtantur. *Vngues* curti atque rotundi libidinoſos manifeſtant: longiores & adunci, quales corvorum, rapacitatis indices. Dominicus de Rubeis *Tabul. Phyſiognom. pag.* 137. Sed & milvis & aquilis ſimiles: unde Plautus in coquos fures:

An tu invenire poſtulas quenquam coquum,
Niſi ſit milvinis aut aquilinis ungulis.

Feſtus ex Catonis ſententia refert, *ungulatos* dici, qui magnos ungues habent, ac ſcabros: quod hi ungulis, quam unguibus ſimiliores. Sed & ſcabrities unguium Polemoni veteratoris indicina: Medicis ungues ſcabri, contractiq; tabem præſagiunt. *Vngues nigri,* inquit Hippocrates *vij. aph. xij. & digiti manuum ac pedum frigi-*

di,

di, contracti vel remiſſi, mortem proximam eſſe ſignificant.

Denique apparent in planta pedis, perinde ut in fronte atque manu, lineæ planetariæ: quarum diſpoſitio talis per traditionem nobis obtigit. Quæ pollicis montem ambit, *Solaris* eſt: quæ reliquorum digitorũ ſuccingit, *Lunaris*. Sub his tranſverſim decurrunt: *Saturnina*, *Iovialis*, *Martia*, & *Venerea*, quæ tarſo vicinior. Has quatuor tranſit *Mercurialis*, plerumque geminata, aut tergemina quibuſdam. Videſis ſchema appoſitum.



Pes ſymmetrus, cuius planta lineas oſtentat planetarias.

CAP. XXV.

Anacephalæoſis.

AD umbilicum fere perducta eſt opella noſtra. Explicatæ partes corporis cunctæ, quæ in oculos incurrunt, ſuaque ſingulis proportio addita. Supereſt, ut more Rhetoribus uſitato, in ſummã colligentes quæ dicta ſunt, ex omnibus membris inter ſe conjunctis integrum formemus hominem. Id quod ut commodius fiat, in medium prius afferemus catalogum, qui ſecundum tres dimenſiones corporis, omnium partium ſymmetriam contineat. Et quoniam partes corporis humani pleræque teretes ſunt, adeoque profunditas cum latitudine coincidit, aut ex peripheriæ diametro facile colligitur: ideoque facta ſubſtitutione, has dimenſionum ſpecies modo proponemus, Longitudinem, Latitudinem, Circumferentiam. Porro cum ſuperius tria inſtrumentorum genera attulerimus, Anthropometron, Filum, Circinumve quodnam ex his cuilibet dimenſioni aptius ſit, literis A. F. C. indicaturi ſumus.

ELENCHVS ANTHROPOMETRVS.

Longitudo.	Unc.	Latitudo.	Unc.	Circumferentia; *ſolo filo.*	Unc.
Totius corporis A.	72	*Toti' corp. expãſis brac.*	72		
Capitis A.	10	*Capitis A.*	8	*Capitis* per verticem & laryngem,	24
Capillitij à fronte ad nucham F.	12	*Capillitij à trago uno ad alterum F.*	16	*Capitis* per frontem & occiput,	24
Capillitij anterius A.	2			*Capitis* à larynge ad nucham.	24
Capillitij poſterius A.	7				
Capillitij in tẽporib. A.	5				
Faciei ab antijs ad mentum A.	8	*Faciei à trago uno ad alterum F.*	12		
Frontis inter cincinnos F.	8	*Frontis ab antijs ad glabellam F.*	fere 3		
Oculi C.	2 $\frac{1}{2}$	*Oculi C.*	2 $\frac{1}{2}$	*Oculi*	8

Naſi totius C. fere	3	*Naſi* { *ſup. or ad glabel'ā C.* 1; *infer. ad labia C.* 1 $\frac{1}{2}$			
Columnæ cum orbiculo C.	1 $\frac{1}{2}$				
Labiorum à columna ad mentum C. fere	2	*Proſtomij C.*	2	*Labiorum*	8
Menti A. plus	1	*Menti per marginem maxillæ inferioris F.*	2 $\frac{1}{2}$	*Menti*	8
Menti à labijs ad bucculam F.	2				
Genarū à malæ dextræ eminētia per bucculam ad ſiniſtram F.	12	*Genæ à trago ad pinnam proximam F.*	5		
Auricularum C. fere	3	*Auricularum C. fere*	2	*Auricularum*	8
Gutturis { *contracti A.* 2; *extenſi F.* 4		*Colli* { *ſuperior A* 4; *inferior inter humeros A.* 10		*Colli ſub larynge*	14
Cervicis { *extenſi A.* 5; *contracti F.* 3					
Epomidum F.	7				
Brachij totius A.	30				
Lacerti A.	12			*Lacerti ꝓpe humerū*	12
Cubiti A.	10			*Cubiti ſub gibbere*	11
Manus A.	8				
Volæ manus C. plus	4	*Palmæ C. fere*	4		
Dorſi manus C. fere	4				
Digitꝰ medij { *interiꝰ C. fere* 4; *exteriꝰ C. plus* 4					
Pectoris A.	8	*Thoracis inter axillas A.*	12	*Thoracis* { *inflati* 37; *remiſſi* 36; *efflati* 35	
Dorſi A.	13				
Laterum F.	9				
Abdominis totius A.	16	*Abdominis F.*	18	*Ventris per umbilicū, ilia & lumbos*	36
Epigaſtrij A.	8				
Hypogaſtrij A.	8				
Lumborū cū natib. A.	11				
Penis erecti F.	8			*Penis erecti*	4
Cruris totius A.	36				
Femoris A.	18			*Femoris prope nates*	22
Tibiæ cum tarſo A.	18			*Tibiæ per ſuram*	14
Pedis A.	12	*Plantæ A.*	4	*Tali per ambitū* { *tarſi* 14; *metatarſi* 12	

Appa-

Apparet ex præſenti indice admiranda proportio, qua numen divinum in fabricando corpore noſtro uſum eſt. Ea ſi cui non exactiſſima omni ex parte videatur, noſtro ſaltem inſtituto erit ſufficiens: cum non niſi à poſteriori opera Creatoris noſtri ſcrutari liceat, nec ipſe quenquam in conſilium condendi primi hominis adhibuerit. Quod ſi quis ex hoc catalogo numeros pares excerpendi laborem ſuſcipiat, gratiſſimam partium inter ſe harmoniam eliciet. Ita æqualis eſt longitudo faciei, frontis, manus, pectoris, epigaſtrii, hypogaſtrii. Aequalis latitudo frontis cum longitudine naſi, atque auricularum. Aequalis peripheria oculi, labiorum, menti, auricularum. Inter diverſos numeros inveniet proportionem Arithmeticam & Geometricam, duplam, ſeſquialteram, ſeſquitertiam, Harmoniam diateſſaron, diapente, Diapaſon: immo tot numerorum ſpecies à Pythagoricis olim animadverſas, ut ſtupore res pleniſſima ſit.

Nos interea, quo ſatisfiat etiam magis curioſis, & qui ſuo marte delineare ſymmetram hominis imaginem in charta deſiderant: qua ratione id ex hactenus traditis perficiatur, compendiario oſtenſuri ſumus. Itaque

I. Erigatur quadratum *a. b. c. d.* ſufficientis magnitudinis.

II. Id dividatur in duas partes æquales linea *e. f.*

III. Linea *a. b.* diſpeſcatur in ſex partes æquales, & illarum unica ſubdividatur in duodecim particulas, ut emergant pedes & unciæ huic quadrato proportionati.

IV. Ex *e.* utrinque ſignentur ſex unciæ in *g.* & *h.* totidemque ex *f.* in *i.* & k. conjungendo lineis *g.* & *i.* *h.* & k. quæ latitudinem trunci definiant.

V. Capias circino diſtantiam xij. unciarum, eamque deſcendendo ex *e.* in *l.* virgula ſignes, pro capite atque collo.

VI. Ex *l.* in *m.* pro pectore nota aliam virgulam, ita ut inter ſe octonis unciis diſtent.

VII. Ex *m.* in *n.* aliam pro umbilico, & ex *n.* in *o.* aliam ſimilis cum pectore diſtantiæ.

VIII. Ex *o.* in *p.* menſura octodecim uncias pro femore, reliquum tibia cum pede occupabit.


IX. Per *l.* ducito lineam *q. r.* parallelam lineæ *a. c.*

X. Huic ad diſtantiam duarum unciarum ſubducito parallelam aliam *ſ. t.* quibus duabus brachia circumſcribantur.

XI. Ex *q.* & *r.* verſus corpus, octo pones uncias in *u.* & *x.* pro manibus. Inde pro cubitis decem in *y.* & *z.* remanetque ſpatium lacertorum uſque ad thoracem.


Ita abſoluta erit ichnographia humani corporis antica, præcipua menſurandorum membrorum loca deſignans, cujus cellulis poſtea muſculorũ tori aptis linearum ductibus inſcribi, adumbrarique poſſ... Faciei, manuum, ac pedum elaboratio accuratior una cum ſuis lineolis in ſuperioribus jam propoſita fuit, quorſum nos remittimus. Interim contemplare effigiem hominis ſymmetri anticam.

Homo ſymmetrus facie antica.



Poſticam hominis ichnographiam conficies, eadem obſervando præcepta: niſi quod ex colli loco, qui literæ L. modo reſpondebat, pro longitudine dorſi tredecim uncias deorſum aſſignes, ut pro lumbis atque coxis undecim relinquantur. Figura appoſita res tota pateſcet..

Homo ſymmetrus facie poſtica.



CAP. XXVI.

Doctrina nævorum.

CONvivatores genialiter excepturi hoſpites ſuos, poſtquam epulis exempta fames, bellaria apponere ſolent, quorum uſu pro varia hominũ inclinatione aut ſtomachus roboretur, aut cõcilietur halitui gratus odor, aut ſitis acrius provocetur: ſed &, ſi quis cæteris magis famelicus adſit, ut habeat is, quo defectũ menſarum primarum ſarciat. Imitabimur hos pro virili, cum magnopere vereamur, ut appetitui omnium, dapibus hactenus appoſitis ſit ſatisfactum. Onerabunt ſecundam menſam, ſi ornare nequeunt *nævi* cuticulæ humanæ connaſcentes, quorum recondita doctrina Anthropometriæ nõ parum affinis eſſe videtur, etſi quam pauciſſimis explicata ſcriptoribus. Melampus Medicus Athenienſis Amythaonis Argivi & Dorippes filius, parens autem Theoclymeni vatis, auctore Homero *Odyſs. xv. v.223.* cujus fama, ut tradit Plinius *l.xxv.c.v.* divinationis artibus nota eſt, primus omnium videtur ſolerti quadam induſtria, quid nævi in quaq; corporis parte ſignificarent edocuiſſe. Extat ejus *De nævis corporis* tractatus, ex Græco in Latinum verſus à Nicolao Petrejo Corcyræo, qui una cum ſimilibus libellis Venetijs prodijt A.C. 1552. Multo poſt tempore inter Arabes Haly Abenragel librum *De judicijs aſtror.* compoſuit, quo circa eandem artem aliquid molitus eſt. Eum librum ex Arabico in Hiſpanicum idioma, juſſu Alphonſi Romanorum & Caſtiliæ Regis, tranſtulit Yhuda Fil. Muſcæ. Ex Hiſpanico in Latinum verterunt Aegidius de Tebaldis Parmenſis aulæ imperatoriæ Notarius, & Petrus de Regio aulæ ejuſdem Protonotarius. Extat impreſſum opus Venetijs A. C. cIↃ IↃ xx. Inter Latinos circumfertur tractatulus cujuſdam Merlini Britannici, qui tamen obſcure & depravate ſatis loquitur. Suſcepit argumentum hoc clarius exponendum Io. B. Porta *l. Phyſiogn. human. v. c. xlv.* & *lib. Phyſiogn. cœleſt. jv. integro.* Verum enimvero omnium nuperrime ſcripſit hac de re maximi nominis & admirabilis doctrinæ Vir Ludovicus Septalius Mediolanenſis, qui non tantum mutilam antiquorum doctinam correxit & perfecit: ſed rationibus quoque philoſophicis argutiſſime roboravit. Vſu

venit inde, ut ejus liber *De nævis* poſtea, quam Mediolani A. C. cIↃ IↃC XVIII. primum in lucem prodiiſſet, toties repetitis typis impreſſus ſit. His ducibus & comite propria experientia nos quoque compendiariam non minus, quam accuratam nævorum doctrinam propoſituri ſumus.

In facie quorundam hominum nævos apparere in vulgus conſtat. Eorum alij tenello fœtui in utero materno imprimuntur, alij poſt ortum demum adveniunt. Adventitiorum nulla ſcientia aut analogia, ſed connatorum duntaxat. Connatorum nonnulli eminentes ſunt verrucarum inſtar: alii latiuſculi cum tumore vix ſenſibili: alij denique cuti plane æquales, cujuſmodi lenticulæ radiorum ſolarium æſtu provocatæ eſſe conſueverunt. Quin immo Ariſtoteles *l. vj. Hiſt. Anim. c. vj.* hæreditarios quoſdam nævos agnovit, de quibus hoc pacto ſermocinatur: *Gignuntur læſi quoq; ex læſis, velut claudi ex claudis, & cæci ex cæcis. Deniq; ſimiles ſæpenumero in re, quæ præter naturam comitetur, & ſigna habentes ſibi cognata hæreditaria, ut* φύματα καὶ ἐλίς*, verrucas ſeu nævos & cicatrices. Iam tale quid vel tertia prole poſt regeneratum eſt, ut cum quidam ſuo in brachio puncti notam haberet, filius non id retulit, ſed nepos, ea corporis parte nigritiem quandam habens confuſam, prodijt.* Pluſculi ſi fuerint in uno corporis loco nævi, figuram aliquã præ ſe ferre ſolent. Ita, referente Suetonio *c. lxxx.* Octaviano Cæſari diſperſæ per pectus atque alvum genitivæ notæ in modum & ordinem ſtellarum cæleſtis urſæ fuerunt. Verſantur circa hos nævos diverſi artifices. Naturalis ſcientiæ ſtudioſi cauſſas eorum ex imaginatione matris, aut impreſſione forti alicujus Planetæ nativitatis, conceptuſvè momento facta ſcrutantur. Qua de re legatur Haly Abenragel *lib. de judic. aſtror. part. ij. c. xxx.* ubi à Luna prave poſita pelli turpia *ſignalia* imprimi docet, ſicut *porrus* & *dedo*: quibus vocibus barbari utuntur interpretes. Medici ipſos coſmeticis infeſtant, & varijs artibus extirpare conantur. Nos in præſenti, quamnam inter ſe in corpore proportionem retineant, inquiſituri ſumus, quum jactu plane fortuito per corpus ita ſparſos fuiſſe, rationi diſſonet. Divinatione vero judiciaria, qua ſignificationes nævorum de hominis fortuna vel miſeria expenduntur, quamq; Melampus atque alij imprimis proſecuti ſunt, hac vice ſuperſedebimus.

Nititur autem totum negotium unico fundamento illius conſenſus, quo pars corporis una alteri reſpondet: adeo ut quo-

tuſquiſq;

tuſquiſque hunc nerit, conſenſum nævorum ignorare nequeat. Porro quoniam facies ſpeculi inſtar eſt, in quo cæterarum partium omnium harmonia relucet: annitendum manibus, pedibuſque fuerit, ut qualis illa ſit, ex intimis ſcientiæ penetralibus eruamus. Duplex autem invenitur, ſi rem exactiore mentis ſtatera perpendimus: Harmonia ſcilicet proportionis, & ſimilitudinis. *Proportio* in ſola membrorum menſura conſiſtit, *Similitudo* in quibusvis alijs accidentibus. Ita ſi dixero, fronti cum pectore conſenſum eſſe, quod ſicut illa eſt tertia faciei pars, ita hæc tertia totius trunci: hæc erit harmonia proportionis. Sin coxas cum malis conferam, quod utraque ſint numero binæ, forma rotundæ, carnoſæ: hæc ſimilitudinis ſolummodo harmonia vocari meretur. Non tamen neſciendum, quaſdam partes alterutram tantum, alias utramque ſervare harmoniam. Si prius, incertior erit nævorum quoque concordantia: ſi poſterius, ipſa erit certiſſima. Sic mentulæ cum naſo intercedit conſenſus non tantum, quod hic faciei, illa erecta trunci triplam obtinet proportionem: verum etiam, quod utrique figuræ aliqua ſimilitudo communis eſt. Videtur hanc membrorum harmoniam intento digito moſtraſſe ipſe Philoſophus, dum *l.* 1. *Hiſt. anim. c. xv.* in hæc verba prorumpit: *Habet ſane homo ſuas partes ita diſpoſitas, ut in eo & ſuperius ſit & inferius, & prius & poſterius, & dextrum & ſiniſtrum. Conſtat ſane dextrum & ſiniſtrum ex ſimilibus fere partibus, atque eiſdem. Verum ſiniſtra omnia ſunt imbecilliora, at poſteriora prioribus, & ſuperiora inferioribus diſcrepant: præterquam quod inferiora ſimilitudinem ſuperiorum præferre ea ratione dixerim, qua venter imus reſpondere ſolet faciei in corpulentia vel gracilitate: & crura cum brachijs communem ineunt rationem. Itaque, quibus cubiti breves, ijs etiam femora magna ex parte brevia ſunt: & quibus pedes exigui, ijs manus quoque parvæ habentur.*

Reſpondent profecto inter ſe I. FRONS & THORAX. Pectus pars frontis plana *a.* refert, lateribus extremæ ad tempora *b.* reflexæ conveniunt. Quæ antijs *c.* propior, refert eam pectoris, quæ jugulo vicina: glabellæ *d.* præcordia reſpondent. Sic regio media, quæ binis eminentijs in quibuſdam protuberat, mamillarum præ ſe fert figuram. Notatu tamen dignum, quod Septalius obſervavit, nævum in fronte non raro ſocium in metaphreno habere ſeu interſcapilio, cum id quoq; pars thoracis ſit.

II.

II. SVPERCILIA *e.* & SCAPVLAE. Quemadmodum autem ſupercilia dividuntur in principium, quod naſo proximum, in arcum, & finem: ita ſcapularum alia pars anterior, alia ſumma, poſterior alia. Hinc nævo in principio ſupercilij conſtituto reſpondebit alius in ſcapulæ parte anteriore, verſus confinia nimirum pectoris: in arcu ſito alius reſpondebit in acromio: finem ſupercilij occupanti alius in poſtica parte ſcapulæ. III. CAVVM OCVLI *f.* & AXILLAE. Quod ſi nævus ad angulum internum propius acceſſerit, nævus ſocius pectori quoque vicinior erit: ſin ad externum, dorſo. IV. Oculi & teſtes, ſicut PALPEBRAE *g.* & SCROTVM, obſeruata etiam dextri, ſiniſtrique ratione. Et quidem palpebra ſuperior partem ſcroti anticam: inferior eam quæ anum ſpectat, refert. V. NASVS & PENIS. Quin & obſervandæ ſunt tres utriuſque regiones: radix *h.* medium *i.* & extremũ k. quod in illo orbiculus, in hocce glans præputio tecta vocatur. Sunt qui ex narium figura coleorum quantitatem colligunt, & columnam ſuturæ ſcroti intermediæ reſpondere contendunt. VI. MALAE *l.* & COXAE. Quod ſi nævus naſo perquam vicinus appareat, ſocium habebit peñi aut vicinum; aut omnino inhærentẽ, quod aliquando accidit. VII. CAPITA MANDIBVLAE *m.* & LVMBI. Capitibus mãdibulę accenſetur pars genæ à lobo auricularum ad preminentias uſque circulo deſcripta. VIII. BVCCA & ABDOMEN. Et quoniam in abdomine ſunt latera, pubes, & umbilicus: illis bucca *n.* gemina, illi menti apex *o.* huic commiſſura menti *p.* cum labio inferno conſentit. Haut deſunt tamen, qui nævum in meditullio genæ conſtitutum repræſentare umbilicum velint: qua in re ipſe ſibi non conſtat Septalius. IX. LABIA *q.* & ANVS. Labium autem ſuperius cum imbricatum ſit, PHILTRVM illud *r.* PERINAEO, quod anum à ſcroto interſtinguit, opportune reſpondit. X. AVRES, & BRACHIA. Ita quidem, ut pinnã *ſ.* lãcertum: lobus *t.* cubitum: conchæ latus internum *u.* volam manus; externum, præ ſe dorſum ferat. XI. BRACHIA & CRVRA. Concordant autem invicem lacerti 1. & femora: cubiti 2. & tibiæ: manus 3. & pedes cum ſuis digitis. Atque hæc de faciei partibus, quæ cæterarum veluti epitome aut index eſt.

Verum quid de *næuis colli* ſentiendum? Collum pedibus reſpondere ex Plinio ſupra fuit diſputatum, qui *l. xj. c. iij.* longa cru-

ra eſſe ſcribit , quibus longa colla , exemplo ciconiæ , gruis , cervi , & quorundam hominum. Contendunt alij, ſemicirculos aſperæ arteriæ cartilagineos coſtas referre, epomides latera aut ilia, cervicem lumbos. Equidem memini me aliquoties pronunciare, conſpecta in ſiniſtro cervicis latere verruca genitiva, ſociam ejus lumborum ſiniſtræ eminentiæ inhærere : quod judicium experientia confirmavit. Vlterius tamen in rei veritatem anquirendum cenſeo.

Interim, quo obvia cuncta fiant, & unico comprehandantur intuitu, primaria nævorum loca binis figuris, quibus literæ communes ſunt, exprimere allaboravimus. Tu Lector, aſpice & judica.





HARMONIA NÆVORUM.

Quæ

Quæ dicta hucuſque de nævis & picta ſunt, maſculino ſexui non modo, ſed & fœmineo conveniunt: ſi quis honeſto ſciendi deſiderio detentus, nullam naturæ partem philoſophico excludere velit ſtudio. *In muliere quæcunque in naſo ſitum nævus habebit, eundem alius in labijs naturæ occupabit*, auctoritate Septalij l. c. *Quod ſi in pinnula naſi conſiſtit, fere in ſuperiori parte, ubi nymphæ enaſcuntur, invenietur.* Non tamen ignorandum, arvum genitale in fœminis, præter naſum, frequentiſſime ab ore ipſo cômonſtrari, cujus labra neſcio quid ſimile ad naturæ alas præ ſe ferunt. *Pudendi muliebris proportionem plerumque ab ore licet deſumere*, inquit Spigelius, *l. j. corp. hum. fabr. c. x.* multiplicique experientia à ſeſe obſervatum aſſerit, omnibus craſſis & pinguibus, mammaſque & ventrem amplum habentibus, amplas quoque eſſe vulvas. Contra, quibus mammæ depreſſæ aut parvæ, os quoque parvum, mentumque acutum & labia parva ſunt: ijs ſtrictam eſſe & anguſtiorem vulvam. Calculum ſuum adijcit auctor incertus illius diſtichi:

Noſcitur ex labijs, quantum ſit virginis antrum:
Noſcitur ex naſo, quanta ſit haſta viri.

Concludimus doctrinam hanc admonitione Philoſophi *lib. ij. De part. animal.* ubi res naturales interdum fallere prædicat, quod exemplo ipſius naturæ aberrantis in monſtrorum productione patet. Vnde mirum non eſt, ſi nævorum quoque iſthæc harmonia aliquando ſibi non conſonet, ſed ab interventu cauſſæ incognitæ ſitus ipſorum adeo invertatur, ut divinantem quandoque deſtituat: cum difficile ſit, teſtimonio ipſius Galeni *l. ij. De compoſ. medic. ſec. loc. c. j.* ut qui homo eſt, in multis non erret. Nobis, ſi pultem non attigimus, vitrum lambiſſe ſufficiat.

F I N I S.

V. CL. D.

IOAN. SIGISMVNDO

ELSHOLTIO

MARCHICO, PHIL. ATQ; MED. D.

Anthropometriam vulganti.

NE dubites homini fuerit quam certa venuſtas,
Cui varium artificis norma peregit opus.
Praxitelis Phidiæque peritia nota coloſſis
Hoc parvo mira traditur arte libro.
Marmora deficiant ſeris progreſſibus ævi:
Aeternum chartis durat in orbe decus.

Eraſmius Bartholinus
Incl. Nat. Germ. Theol. Phil.
ac Medic. Patavij Conſiliarius.

QVæ Capitolinus, cœlo protentus Apollo,
Quæ Pompejanus ſigna, Lyſippe, refert?
Artis & immenſæ produnt miracula molis,
Cui natura parem ſollicitata negat.
Lindius extollat Rhodiæ fragmenta columnæ,
Quam tremulus terræ ſtrauit hiatus humi.
At ratio partis fuerit quæcunque, magiſtrum
Aequa probat: modulo nil ſine forma valet.
Romanis veterum ſtatuis proportio conſtet:
Regula Germani certior arte patet.

Ioannes Rhodius.

A Udacior dimetiente nos [illegible]tos
ELSHOLTIO non alter extat hoc neſtro:
Nec ullus alter extitit, nec extabit.
Quorſum vide nunc ſis redacta Natura,
Devicta ſerva, legibus, ſtylo, normæ
Obtemperare juſſa te reformantis!
Nullos deinde procreare Cyclopas,
Nullos licet Titanas. En Gigantæa
Abſurda gens eſt, & fuganda de mundo;
Et dedecet prorſus propago Pygmæa.
Novi mariti, vos habere menſuram
Proli creandæ convenit bonam & iuſtam.
Videte, ne prolixius caput ſurgat,
Ne naſus extet, ne tumeſcat abdomen:
Ne claudicet pes curtus, aut quod ad ventrem
Appenditur deſit, minuſve ſit rectum.
Vires Apelles hic ſuas recognoſcet,
Zeuxeſque diſcet: ſaxeique Pollucis,
Et Caſtoris magiſter ille Romani
Nunc rectius præſtantiam ſciet ſcalpri,
Et Rex Tyri ſcitus faber puellarum.
Sic illigatus anguium pater ſpiris
Cum filijs probabit omnibus famam
Miraculi: parem probabit Alcides
Farneſianus, & tuebitur tauro
Annexa ſævas virgo Græca per fratres.
Miſer Prometheu, cur ligatus ad rupem
Cor præbuiſti vulturi renaturum,
Vix à pio Cyllenio reſolvendus?
Tu ſcilicet formaveras luti glebas,
Et igneas ex Solis orbe ſurreptas
Animas dediſti. Culpa quæ fuit tanta?
Nos pandimus ſecreta tota Naturæ,
Et magna parva, ſumma & ima monſtramus;
Depingimus, celamus, & damus leges;
Proportionum diſtributa momenta,
Veras amuſſes, regulas Polycleti.

Et

Et igne de cæleſtibus focis rapto
Animamus opera noſtra. Marmorum ſpirant
Vitam figura, gens velit loqui picta.
Humana ſic ars afflat orta de cœlo.
ELSHOLTIUS transfundit. Ille, qui neſcit
Jovis mereri, vel timere vindictam:
Qui jus habet divina dona vulgandi,
Deo favente, comprobante Natura.
Diræ volucres hinc abite. Se noſter
Tuetur ipſe, par honore, par forma
Cyllenio, ſed major arduis armis:
Harpeque calamo cedat, & ſtylo virga.
Et ne quid undequaque deſit, en vates
Apollo res dat abditas revelare:
Sunt ſigna per quæ novit intimos mores,
Et lineis ſortes adumbrat, & punctis.
Sat eſt, amice, cedimus. Nimis magna
Nos opprimunt, & ſinciput minus noſtrum
Ex arte ductum eſt, Mercuriique non frontem
Ullus character fauſtus, aut manum finxit:
Nec pes beatis exaratus eſt ſulcis.
O abſtine normam precamur a nobis,
Et quære quos examines magis rectos,
Menſor ſevere: menſor apte, qui Phœbum
Dimetiaris, & novem ſimul Muſas.

In re ſeria luſi
amicitiæ, memoriæ & honoris cauſſa
Patavii M DC LIV.

MICH. KIRSTENIUS.

SCripſiſti nævos ſine nævis, Optime Amice,
Structuramque hominis menſus es egregie.

Durerum hoc ſuperas, illoque Melampoda vincis;
Rara hæc, vixque ullo tempore nota ſatis.

Pro meritis Sors divitias promittit, honores
Patria, & æternas Fama ſonora tubas.

L. M. Q.

Chriſtianus Menzelius.

Typographus Lectori.

IN ſecunda figura, qua capitis ſymmetria exprimitur, ſculptor Auctoris mentem aut parum, aut non exacte aſſecutus eſt. Vnde ipſam hic pro perfecta non agnoſcit, ſed emendatiorem proxime pollicetur. Interea qui in textu ipſo reſtiterunt errores, ita corrigantur.

P.	L.	
11.	6.	*tervunt l. terunt*
13.	11.	*quadratam l. quadrata*
18.	24.	*tria l. in tria*
20.	14.	*c. vxj. l. c. xxj.*
23.	5.	*legunt : xvj. cubitorum*
24.	34.	*pumilio ū l. pumilionū*
25.	13.	*Stature l. ſtatura*
25.	25.	*propriet l. proprie*
25.	28.	*ſerva l. ſervat*
26.	9.	*con- l. conve-*
26.	27.	*fit l. ſit*
30.	25.	*Filipp. l. Philipp.*
38.	21.	*ſane l. ſaltem*
39.	14.	*fontis l. frontis*
40.	16.	*vium l. virum*
42.	7.	*obſito l. obſita*
42.	13.	*judicio l. indicio*
44.	23.	*ſui l. ſuo*
45.	2.	*diſcolares l. diſcolores*
45.	31.	*alterius l. alterutrum*
47.	11.	*mentum l. meatum*
49.	15.	*qubus l. quibus*
50.	12.	*dititur l. dicitur*
52.	28.	*labio l. hoc labio*
52.	30.	*hunc l. hinc*
55.	26.	*ſit l. fit*
56.	3.	*c. p. l. c. x.*
58.	37.	*duarum l. duarum prope*
61.	5.	*exploraturus l. exploraturo*
63.	4.	*ſymmetricam l. ſymmetram*
63.	6.	*ſymmetricum l. ſymmetrum*
68.	12.	*peribentur l. perhibentur*
71.	21.	*metaphrenū l. metaphrenū*
71.	30.	*dares l. Dares*

936531